





1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
8.



1711.

1. Alberti, Michael: De abortus noxia et nefanda promotione
2. Bodinellus, Geth. Albert: De contracta emphysematica
- 3^o Bodinus, Henricus: De iure et erroribus circa Divortia
2 Quast.
4. Bodinus, Henricus: De inefficaci mulierum renunciatione
5. Bodinus, Henricus: De benignitate in iudicandis actibus.

Da.

6. ^{abc} Brechner, Justus Henrico: De praescriptione annuorum
restitutum realium 3 Quast.
7. Genser, Simon Petrus: De universamine reulpatatae

Subelae

- 8^a Gundlingius, Nic Hieronymus: De efficacia metas
tam in promotionibus liberarum gentium tam etiam
dominorum priatorum auxiliisque contra metum.
- 8^b Gundlingius, Nic Hieronymus: De efficacia metas tam
in promotionibus liberarum gentium tam etiam do-
minorum priatorum auxiliisque contra metum.

J. Langius, Traktatus: Idea boni animarum p[ro]p[ri]e-
ris, e p[ri]ore epistola Petri C. V. 1-4.

06

DEPARTMENTAL
BORNEA NOXIA
ET NEVADA PRO
TIONE

PHILIPPO WILHELMO

CHARLE ALBERTA



[Faint, illegible handwriting]

A

I
E

C

C



DISPUTATIO MEDICO-LEGALIS 1711 20
De
**ABORTUS NOXIA
ET NEFANDA PRO-
MOTIONE.**

Quam

AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, AC DUCATUS MAGDEB.
VICARIO, &c.

GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ, CONSENSU
PRÆSIDE

D. MICHAELE ALBERTI,

Publicæ ventilationi exhibet

RESPONDENS

GEORGIUS SIGISMUNDUS LIEBEZEIT,
Sempronienfis Hungarus.

d. *Januar. A. O. R. MDCCXI.*

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Litteris CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

ALBERTUS NOXIA
ET NEFANDA PRO
NOTIONE

IN ACADEMIA
MEDICINA

DR. P. W. W. W. W. W. W.
PRINCIPALIS
DEPUTATUS

PR. W. W. W. W. W.
D. MICHAEL ALBERT

RES. D. W. W. W. W.
GEORGII WISSENGRUBER

W. W. W. W. W. W.
W. W. W. W. W. W.





PROOEMIUM.



Inter reliquos aberrantis animi humani saltus, devia & petaura in salebrofa & lubrica scientiarum & artium Semita sanè non infimi census sunt *Saltus extrà Choream* succedentes, quos jam suo tempore dignò aliquò proverbio Græcus ille *Suidas* taxavit, & ut lernam veluti malorum & errorum annotavit, tantò magis, quia hi circuitus & inconvenientes ambages longissimè à proximo veritatis tramite seducunt, & non nisi steriles ac titubantes gressus & processus inferunt & conciliant. Sicubi enim aliàs curiositatibus faciliùs indulgens humana præcipuè ratio, non statim penetrabilia bonarum artium ingredi, sed per pomeria luxuriosius & ambitiosius progredi gessit, ita sanè tot objecta, ideæ & speculationes intercurrunt, ut deinde multoties totus animus extrà *Choream* neglectò veritatis circulo & centro procedat & oberret, ut non mirum sit, si secundum ejusdem Scriptoris elogium *in cursu cadat*, aut totà suâ spe frustretur, unde à via

A

regia

regia deflectens per multiplicia devia ad veritatem pro-
 grediendo obambulat, ut denique audaces & temera-
 riæ irruptiones valeant, i. e. consilia talia inquirantur &
 applicentur, de quibus deinde illud valet, quod *Livius* o-
 lim dixit: *Consilia calida & audacia prima specie laeta sunt,*
tractatu dura, eventu tristia. Ejusmodi saltus extra Cho-
 ream non modo frequenter, sed etiam eminenter oc-
 currunt in Sphærâ Medicâ, ubi quidem undique pretio-
 sâ vitalitatis confirmatio, exoptatæ sanitatis conserva-
 tio & restitutio, imò suspectarum rerum exclusio & præ-
 occupatio urgetur & declamatur, interim tot sæpè sal-
 tus & ausus intercurrunt, qui planè extrâ Choream sunt,
 & à proposito fine penitus declinant & abluunt, adeò, ut
 quidem multoties intentio nullo modo culpanda existat,
 si modo inventio, justorum mediorum & subsidiarum
 applicatio & ipsa demum exsecutio huic bonæ intentio-
 ni congrueret, quippe quæ methodi perversæ planè ex-
 tra Choream sunt, & communiter bono eventu desti-
 tuuntur; Illud enim omninò de Medicina valet, quod
Seneca jam elocutus est: *Quod nihil opinionis causa, sed*
omnia conscientie facienda sunt, ubi ejusmodi saltus i. e. in-
 convenientes speculationes & curiositates ut plurimum
 malè cedunt, & vitæ, sanitati & integritati humanæ in-
 evitabilem & indelebilem labem inferunt, ut merito ite-
 rum cum *Seneca* exclamare debeamus: *Non accepimus*
brevem vitam, sed fecimus, nec inopes, sed prodigi sumus.
 Quin desuper illud sphalma in communi vitâ passim oc-
 currit, ut salutarem finem non modò declinantibus viis
 aut per anfractus, sed & sinistris mediis prosequamur,
 & sub multo arduo Conamine per pericula in pericula
 prolabamur, ut, sicuti alias periculosum est assequi mala
 pro

pro bonis, ita tantò præsentius, certius & gravius periculum existit, bona per mala petenti & inquirenti; Hinc non inauditæ sunt querelæ in Medicinâ, quibus finistri planè & minimè intenti fines & eventus declamantur & accusantur, ut huc quadret *Plinii* dictèrium: *Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis nascantur*; Indè invaluere illæ formulæ: *Man hätte so viel kräftige und hergestärkende Sachen verschrieben/ es hätte aber nichts anschlagen wollen/ und wäre immer schlimmer damit worden!* De hinc inaugurantur illæ admirationes, quæ modò fieri queat, remedia pretiosa & optimæ fidei non modò nullum auxilium contulisse, sed potius contrarios effectus edidisse? Ut deinceps culpa in debilem Naturam aut Materiam noxiam & malignam plurimum conjiciatur, remedia verò & Therapia illa in antiqua sua autoritate conserventur & vindicentur, cum tamen, si circumstantiæ attentius inquirentur hic talium remediorum usus non alius quam fatuus extrâ *Chorem* fuerit, qui ut inconveniens ita inutilis existit, unde de reliquò consilia Medica non festinanter, temerè, audacter aut inconsideratè ferenda sunt, sed illud rectius agendum quod prudenti monito *Demosthenes* edocuit; *Consulendum est lente, i. e. circumspectè, consulta verò exsequenda sunt festinanter, attramen opportunè*, ne ita temerè quaqua versum lapsus & saltus tales in conditi instituantur & loco salutaris finis damna potius & multiplicia nocumenta educantur. Quemadmodum itaque inopinati ejusmodi affectus passim in cursu Medico obtingunt, ubi ex inconsiderato usu mediorum, quæ quandoque per commune suffragium utilia prædicantur, finistri planè eventus prodeunt, ita non modò

extra Choream saltatur, sed tota via aberratur, quando ejusmodi affectus temerè & impudenter urgentur, qui non modò humanitati, sed & humanæ vitalitati contrariantur & repugnant. Ejusmodi ausus in moralibus æque atque vitalibus negotiis duplici ratione succedunt, nimirum vel per ignorantiam & negligentiam, vel per malitiam, ex quibus illa turpis non modo est, secundum *Senecæ* effatum, quod *turpissima jactura sit, que per negligentiam fit*, sed & meritò punienda, tantò magis è nostro circulo rejicienda, quo magis cum *ignorantia stipata, opinioniones*, conjecturas & ludicras speculationes secundum *Hippocratis* monitum in *Lege* pro fundamento habet; Hæc vero ultima nimirum malitia non modo ex omni foro eliminanda, sed tantò justiori severitate supprimenda & respuenda est. Obveniunt ejusmodi partim antipraxes, partim malitiosa tentamina & experimenta, in diversa Medica & domestica tractatione *Fœtus in utero*, quem modo superflua & scrupulosa Medicina roborare & confirmare, communiter vero cum irritis planè auxiliis solet, ut loco confortationis legitimæ graves enervationes & debilitationes producantur & in hoc passu saltus extra Choream committatur, aut loco roborationis inconsultæ commotiones per crassam ignorantiam inducantur & concitentur, quibus tenerior adhuc fœtus planè ex utero rejicitur, ut loco auxilii notorium tale nocumentum excitetur, & pro excusatione hujus finistri eventus dehinc Comicum illud *Terentij* allegetur: *Mulier fecit! Mirandum-ne id est? Censente posse ullam reperire mulierem, que careat culpa?* Et ita fœminis omnis culpa tribuatur, quæ quandoque etiam innocentes sunt, & passivæ magis considerandæ, quam activæ. Et quamvis

vis

vis hæc abortus concitatio respectu intentionis Medici non semper directa aut intentionalis appellari queat, attamen in consideratione adminiculorum suspectorum adhibitorum directa promotio abortus vocari potest; Quin imò occurrunt præterea in communi vita nonnunquam ejusmodi directæ simpliciter nuncupandæ abortus provocationes, quæ quidem per opinionem necessariæ reputari possunt, attamen vix gravi aliquo periculo & nocumento vacant, & eo ipso etiam extra Choream saltatur, ubi mulier à foetu, qui retineri ultrò non debet, liberanda æstimatur, sed tunc in deterius malum & periculum conjicitur. Tanto magis vero execrandum & malitiosum illud est tentamen, quo foetus integer, legitimus, nulla labe præditus, modo circumspèctè tractandus, nefande exturbatur, omnique vi ac audacia excluditur. Placuit itaque nobis impræsentiarum ex aliis ejusmodi Schematibus saltum extra Choream designantibus hanc ultimam considerationem eligere, & peculiari aliquo specimine explicare. Adurii propterea DE ABORTUS NOXIA ET NEFANDA PROMOTIONE, ut partim in Medicina, partim in Lege divina æque ac civili patefcat, quid justum aut injustum sit & occurrat in ejusmodi negotio, & quousque ignorantia exclusio & malitiæ suppressio & punitio extendenda sit atque urgenda Faxit Divina clementia, ut hoc negotium ad vota succedat, & usum tam in Medicina quam reliqua vita humana, certum æque atque dignum promittat & exhibeat.

DUm Thema nostræ Tractationis duplicem sensum & scopum continet, necessarium erit ut in limine clarius nos explicemus, quid primò per *noxiam*, deinde etiam *nefandam abortus promotionem* denotemus & intelligamus; In primo itaque sensu declarabimus, quomodo nonnunquam, neque ita raro *foetus* in justo & legitimo matrimonio conceptus partim *ex culpa matris* gravidæ, partim *ex causâ & negligentia* vel *Medicâ* vel illam *emulante* noxiæ & periculose ad *immaturam* exclusionem commoveri & promoveri queat, qui tamen prudenter & circumspetè tractatus adhuc *conservari* potuerat, & quomodo non modo respectu *consecutionum* in vitali œconomia promotio talis *noxia* evadat, sed & respectu *famæ, conscientie & scientiæ Medicæ suspecta*, abominabilis & eò ipso noxia existat. Ut dehinc ejusmodi inconsculta & prava tentamina practica tantò curatius evitari, & tot sinistro & deleterii eventus folerter, prudenter & debite, præcaveri queant; Erit itaque prima hæc explicatio magis *Medica* i. e. Medico scopo propius conducibilis. In alterò sensu *directam* illam maliciosam, *inhumanam*, crudelem & nefandam foetus exturbationem *historicè, physicè & Medico-Theoreticè* proponemus, quomodo nimirum in hoc ausu tenerior adhuc foetus quavis vi & audacia *intentionaliter* i. e. cum pravis iniquis, totique humanitati in hoc passu contrariantibus respectibus, usibus, remediis & regiminibus ad exclusionem præcipitetur, impellatur & urgeatur, ut & quæ *principales* circumstantiæ in hac historia facti attendendæ sint & deniquæ qualem usum, respectum & indicationem hæc consideratio partim in *Medicinam*, partim etiam *Juris prudentiam* conferat & deponat.

§. II.

Non placet jam circâ *appellationem* abortus grammaticis aut criticis inutilibus, contemplationibus indulgere, neque

neque cum *Nono Marcello, Diterico, Barthio* abortus & abortus differentiam recoquere & prosequi, sed simpliciter per abortum *immaturam fetus imperfecti exclusionem* denotare, qui adhuc sub corporis sui successivò incrementò & formatione constitutus fuit, in quò verò pro præsentì nulla legitima necessitas exclusionis talis præstandæ subest; Secundùm hunc sensum minùs propriè septimestris aut octimestris partus, etiam si fetus emortuus sit, abortus appellari debet, ut quidem alias voluit *Axius*. Neque etiam distinctè, directè & propriè fetus mortui exclusio abortus appellari potest, ut ex autoritate *Hippocratis, Andreas Laurentius* voluit; sed inferretur abortus vi vocis suæ hanc interpretationem, quando fetus proximè *ab ortu suo*, in primis suis rudimentis nondum perfectus, & motù illò locali volutatoriò nondum perfectè præditus, excluditur, quò consentit *Paulus Zachias*, consentiente quantisper *Ferneliò, Altomaro, Bonetto & Mauriceau*; Vel quando fetus ab ortù vitalitatis suæ legitime per temerariam exclusionem distrahitur; Ubi econtrà pro meliori distinctione fetus vel adhuc vivi post quintum mensem exclusio facta, partus præmaturus; Vel mortui exturbatio, partus fetus mortui, ad differentiam abortus nuncupari potest; Et quamvis hinc inde improprie tales significationes apud *Alphonsum à Caranza* occurrant, nullò modò verò genuinum & distinctum sensum abortus exhauriunt; Unde rectius abortum à primò gestationis mense usque ad & in quintum fieri asserimus, sicuti quòvis mense foetum excludi eoque abortum concitari posse asseruit *Kerkringius in Osteogenia factuum*. Reliquas verò exclusiones ut plurimum præmaturum partum (cum abortus planè immaturum involvat) sistere affirmamus, quoniam verò ex hâc multiplici crisi nullum notatù dignum acumen aut commodum expectandum est, meritò illam misfam facimus.

§. III.

Potest interim adhuc in nostrum censum vocari suspecta, imò

Et, imò quandoque noxia *fetus mortui* promotio ad *exclusionem*, quam considerationem etiam, sed magis *secundario* loco, quia ad propositum nostrum propriè non pertinet, tanquam *gratis* allegare & connectere placet. Unde *primo* loco *indivisi-*
ram illam abortus promotionem sub spe & intentione *con-*
fortandi foetus *medico* consilio & auxilio succedentem & *in-*
ductam explicabimus, & in hac tractatione *principales* a-
nimadversiones & circumstantias *historicas* & *therapeuticas*
 annotabimus, nocumenta verò exindè emergentia significabi-
 mus, & quale ex hac tractatione commodum in *Medicam* scienti-
 am & experientiam redundet, dextrè edocebimus. Deindè
 & quidem *secundo* loco *fetus mortui* inopportunam, noxi-
 am & inconvenientem prosecutionem describemus: *Tertio*
 denique *nefandas* plane, iniquas & malitiosas *abortus* *conci-*
tationes deducemus.

§. IV.

Divinum est præceptum & irresolubile ac prævalidum
 privilegium: *Crescite & multiplicamini*: Quo propagatio
 sobolis à summò humanarum rerum arbitriò benignissimè in-
 augurata est, ut homo ab homine generetur, formetur & sub
 divina benedictione & concessione gens humana multiplice-
 tur, quæ in vastò mundi spatio inferiores creaturas regere &
 in usum suum legitimum justum ac licitum convertere de-
 beat, secundùm illud divinum mandatum *Genes. I. v. 28, 29.*
 & 30. Quemadmodum . verò miserrimus Protoplastorum
 lapsus in inveniendis, tractandis, regendis & applicandis re-
 bus, multis inæqualitates, errores, confusiones & anomalias in-
 trodixit; Ita certè successivè in hoc negotiò gestandi, regen-
 di, præmuniendi & fovendi foetus in uterò variæ inscitæ, ne-
 gligentæ, imò malitiæ invaluerunt, ut loco debiti regiminis
 multæ inconvenientes tractationes passim adhibeantur eoque
 ipso haud faciliè excusandum facinus committatur, dum or-
 do & voluntas sapientissimi Creatoris per pravas hominum
 inventiones & tentamina negligitur, transgreditur & propter-
 ea mul-

eà multū noxiū & contrariū eventus concitantur & produ-
cuntur.

§. V.

Ex hisce perversis tentaminibus non infimum illud est, quando citrà urgentem necessitatem & utilitatem tenerior in uterò foetus *remediis* ambiguis *confortantibus* & roborantibus urgetur & afficitur, ut loco *premeditata* roborationis & refectionis sensibiles *enervationes* introducantur, & propterea ad immaturam *exclusionem* foetus ille miserè promoveatur. Quamvis verò hi ausus ex aliquà *ignorantiâ* sub *bonâ* quandoque *intentione* malè succedant & exeant, ita tamen nullo modo hæc *inscitia* partim coram iustissimo *Deo*, partim etiam coram *hominibus* conscientie suæ magis prospicientibus & de hõc negotio *melius* instructis *excusari* potest, sed tantò magis taxanda, *damnanda* imò etiam punienda est, ut eò certius arduum hoc opus *æqualitati*, integritati & quantum fieri potest perfectioni suæ restituatur, hincque iusta talis hominum *multiplicatio* & propagatio convenienter & *debitè* succedat. Placet propterea ejusmodi *errores* ex *ignorantia*, *negligentia* & *suavitate* profuantes paulò clarius depingere & annotare.

§. VI.

Occurrunt verò in communi Medicâ speculatione multiplices & præter *necessitatem* formate *phantasie* de *imbecillitate* foetus & læsâ facultate *retentricæ* Uteri, quæ suppositiones tantò magis ab illis effinguntur, qui vel frigidæ *chimeræ* & opinioni de *spiritibus* indulgent, vel à sanatione multum aberrantibus *foemineis* terculamentis firmiter inhaerent & assentiunt, ut, si vel gravidæ aliis quam graviditatem *proprie* concernentibus, & quandoque ex *personalibus* circumstantiis profuientibus pathematibus, tanto magis verò recurrentibus *lipthymiis* affligantur, accelerato & immaturo prognostico *imbecillitas* foetus accusetur, proptereaque multiplicia interna & externa medica vel medicinam olentia tormenta & medicamenta injungantur, & ad nauseam usque obtru-

B

obtru-

obtrudantur, ex quibus deindè sensible illud *formationis* negotium non leviter *turbatur*, sed notoriè pervertitur & suffaminatur, unde jam prudentiores foeminae harum circumstantiarum magis peritæ longè meliori prognostico affirmare solent, quod quò *magis* sub hoc gestationis tempore *remedia* commendantur & *exhibeantur*, eo *magis* molesta & noxia *pathemata* provocentur & *insequantur*, ipsum verò *partum* *difficiliorem* exinde *futurum* rectissimè denunciant. Eminent verò ex ejusmodi *suspectis* subsidiis seu instrumentis *remedia* interna spirituosa, oleosa, calida, acria, aromatica, præter *necessitatem* offerri solita, ex quibus verò præcipuè emergit famosus ille Bissamus aut Aqua Embryonum primæ & secundæ destillationis; Aut mixturæ spirituosa, oleosa, aliaque hujus sarsuris, quo etiam pertinet confusa illa Aqua Vitæ Mulierum, nec non Volatilia cum vel sine oleis remixta, ipsa illa *femina calida* oleosa & ejusmodi *radices*, quales sunt: Zedaira, Galangæ, angelicæ, contrayervæ, aliaque acres: Costus, immodestus & inconveniens Cinnamomi & reliquorum *aromatum* usus, speciose illæ species aromaticæ simplices vel rosæ, Cordiales, Diacinnamomi, Diacrocu, Diamargariti calidi & frigidi, diambre, diamofchi &c. In hunc censum etiam pertinent *Astringentia* passim in hoc statu commendari solent, ut & crocata, camphorata (sicuti ex externa *camphoræ* accessione *abortus* concitationem peculiari observatione describit *Borellus*) sulphurea, myrrhata, quin imò confusa ejusmodi composita, mellita, valdè dulcia, inconvenientem fermentationem cum biliosa saburra in intestinis & primis viis concitantia, multa theriacalia, *opiata*, aliaque, cum quibus omnibus plurimum formationis actus pessimè præpeditur, confunditur & annihilatur, de quibus merito primo loco dicendum nobis fuit.

§. VII.

Sicuti hæc talia famosa remedia multoties non modò temerè, sed & *constanter* commendari, & in gravidis ex præmaturâ sapientiâ & vigilantia adhiberi solent, ita ejusdem census

fus & dignitatis ex alio capite petita sunt consilia illa & auxilia cum quibus malè suspicata illa lætio *facultatis retentricis* Uteri corrigenda urgetur, quæ communiter etiam *Antihysterica* audiunt & radices & herbas nervinas acriores spirituosas subtiles sulphureas & oleosas includunt, ut & semina talia & gummata, ex quibus eminet Asa foetida, quò referendum est suspectum illud & communissimè fallax *Castoreum*, quod æque nonnunquam medicâ pervasione ac à foemellis consultatricibus plenis buccis & sub promissione miraculosi adjuvamenti commendari & obtrudi solet, quò desuper pertinent Vinum illud matricale Sennerti, Aquæ refrigerantes, Spiritus artemisiæ, matricaria, pulegii, ut & Essentiæ tales, Tinctura crocata, sulphurata, vitriolata, Elixiria uterina, P.P. oleosa, Species prædictæ, inutiles & steriles Peculæ, Trochisci de myrrhâ, Pillulæ de Castoreo & foetidæ, Laudanum uterinum, Adstringentia omnia quæ singula ejusdem efficaciam sunt, ut foetus formationem magis *impediant*, hanc ita dictam facultatem retentricam efficacius *ledant* & certius debilitent, eoque ipso *abortum* potius *promoveant*, quam *preoccupent*, cum quibus hinc inde in praxi Medicâ gravis error committi potest, qui in ipso eventû sese verificat.

§. VIII.

Neque hæc solùm ut remedia incerta & plurimùm noxia à nobis producuntur, sed pertinent huc etiam *externa* illa adjumenta suspecta, quæ aded jam invaluere, ut non modò *pro necessariis* reputentur, sed etiam si negligantur pro *maximò errore* & flagitiò declamentur. Sunt verò talia partim *Unguenta* & *Linimenta*, quò etiam *Emplastra* & *Cerata* pertinent, partim etiam *Sacculi* & *Fomenta* ex oleosis, acrioribus, subtilioribus & nervinis parata, quæ honoratioribus & illis quibus non est curta supellex, injunguntur, ubi nequiquam prætervidendum aut negligendum est illud problema historico-practicum) Quod foemellæ *hiscè instrumentis* utentes *faciliùs* non modò *abortiant*, sed *difficiliorem* in simul partum experiantur, quam illæ, quæ talia *non* adhibuerunt; 2) Cur *honoratio-*

res foemellæ facilius & sæpius abortiant, & difficilius pariant, non æque verò inferioris fortis aut quæ rus colere solent, foemellæ, quæ tamen sub laboriosis motibus & variis perversis corporis agitationibus multam facultatem retentricem (uti dici solet) in genere consumere solent, ut exindè etiam huic facultati retentrici non leve præjudicium de necessitate quadam supervenire deberet. Unde rectè dixit Lindanus: semina gravide nunquam melius valent, quam quando nihil medicamentorum assument. Tanto magis verò taxandæ sunt pervertæ illæ Fomentationes & Suffimigia, quibus immediatè Uterus per loca genitalia affici solet, & ex quibus per magnam quandam stillaciam Elenchi solidum aliquod adjumentum promittitur & expectatur, quæ tamen communiùs sensibilem illum motum in & circa Uterum exerceri solitum magis astringant, ac proindè principium hujus motus ad exclusionem inconvenientis ejusmodi vaporis, simul verò etiam ipsius fetus sensibilis provocant; Quæ verò exclusio cur in omnibus illis, quibus ejusmodi externa adhibita fuere non obtingat, differenti sensibilitati personali adscribendum erit.

§. IX.

Hac etiam pertinet inconsuetus ille & diffusus usus *Balnearum* vel simplicium, vel naturalium, vel cum herbis nervinis paratorum, quæ jam passim à *Foresto* & *Zacuto* in tali statu suspecta & periculosa declarantur, & quæ, utpote in genere, parum gravidis conferunt, pleboricis verò & valdè spongiosis præne nihil, ita communiter perperam adhibentur, tanto magis verò, quia partes magis relaxando motum legitimum enervant, neque imbecillitatem illam suspectam meliorant, imò cum Balnea talia ad impetuosiores commotionem facillimè contribuunt, eò ipso etiam fetus incremento præjudiciofa sunt, quin imò parum auxilii ex nervinarum specierum additamento expectandum erit, quarum subtilis substantiæ in aquam receptæ illicoque confluentes vix sufficienter intimiora corporis viscera penetrant, sed nonnisi superficiem ejusdem attingunt, quæ si concentratiores eoque sub-

tiores essent, quales tamen sub aqua interfluxione non sunt, iniuoria corporis paulo facilius penetrarent, unde neque balnea talia tanti usus sunt, quanti hinc inde Catachrestis & per Hyperbolen commendari & declamari solent. Quin denique rarissimè illa morbida *Uteri stricture* extimescenda est, ob quam fortè foetus expandi & formari commodè aut conuenienter non queat, ut exinde huic debita generationis negotio aliquod incommodum immineret, & deinde abortus talis de necessitate veluti quadam insequi deberet, ita rarissimè Balnea talia fructuosè adhibentur, neque propterea tam latè & longè commendanda & injungenda veniunt.

§. X.

Paucissimis etiam *Adstringentium* remediorum reminiscimur, quæ pari certitudine ad abortus concitationem contribuant, interim hinc inde pro *confortando* foetu imò *preuocando* abortu commendari solent, siue uis, siue terrea, siue alia calcaria, imò non rarè etiam mineralia & vegetabilia sensibilibus constringentia, quasi per hæc foetus mediantibus fecundinis utero firmiter affligi queat, à quo deinceps ualidius contineri debeat, cum tamen hæc remedia naturam eminus ad stricturem uteri inclinantem & foetus exclusionem quandoque mitioribus motibus molientem ita instruant & disponant, ut vel motus tales strictorios in utero præsentius, actiuius & vehementius exerceat, vel una cum adstrictorio & occlusorio effectu reliquis necessariis & utiles vitales *Secretiones* & *Excretiones* cohibeat & ex hæc vitalis ordinis *turbatione* tantò magis ad abortum concitandum acceleret, sicuti talia remedia præcipuè alui successum impedire solent, qualem *constipationem* ad abortum disponere & disposuisse allegat *Hild. Cent. 6. Observ. 62.* Ut pote cum quibus adstringentibus primam illam causam, ob quam in ejusmodi statum prolapsa est ejicere & sese ab hoc incommodo liberare gestit; Unde merito inconsultum talem & temerarium Adstringentium usum ut *suspectum* depingimus; Hæc ipsa verò sicuti *interno* usu multoties sinistrum effectum largiuntur, ita non minus

externa applicatione dubiè, incertè imò communiter noxiè operantur, tantò magis verò, si sub indifferenti credulitate pro confortando Utero & continendo foetu confidentius adhibentur.

§. XI.

Quantam censuram *Opiata* illa narcotica mereantur, quæ variè nonnunquam gravidis offerri solent, faciliè attenda experientia edocebit; Quamvis enim hæc nonnunquam sub speciosa *analepsos* inducendæ commendatione floreat, nihilominus hæc *analepsis* tam suspecta est, ut potius exinde legitimi & salutares morus & justum cæteroquin hoc foetus formandi negotium insigniter pervertatur, dum quidem intercurrentia quædam pathemata veluti vomitus molesti, *cardialgiæ*, capitis dolores, pathemata congestoria citò mitigantur, sed suspectæ illæ consecutiones *recurrentium* moliminum per alia loca evacuationem urgentium ex usu talium remediorum certius verificantur, ubi ejusmodi pathemata non æque statim foetui præjudiciofa, consopiantur quidem, sed longè deteriores effectus & successus infallibilis provocantur, Unde narcotica talia stupefactoria si non directè & proximè, tamen indirectè & in successu ad abortum disponunt. Quin imò, etiamsi abortus ex aliis causis intervenientibus nonnunquam extimescendus veniat, semel quidem motus ejusmodi foetus exclusioni dicati per *opiata* retardari & consopiri possint, hi verò ex levissima alia causâ tantò majori vehementia recurrunt, & longè deteriores eventus inferunt. Ceterum ejusmodi narcotica à *B. Ettmüllero* ad illas etiam causas *abortum* inducentes referuntur, primario quidem ex fundamentis experientiæ, quamvis alia connexionis & theoriæ argumenta proferat.

§. XII.

Non negligendæ à nobis sunt famosæ illæ *evacuationes*, quæ sub diversâ mala applicatione cum nocumento abortum promovere solent, quamvis alibi etiam notoriè abortum præoccupare, si legitimè commendentur. Loquimur Pri-
mo

mo de *Vena Sectione*, cum qua nonnunquam ex consilio Medico gravidis prospici solet, & quam *Fernelius*, *Rondeletius*, *Savonarola*, *Forestus*, *Frambesarius*, *Sennertus*, *Santorrellus* & *Zacutus Lusitanus* ad præoccupandum abortum non inelegantibus aut infirmis argumentis à priori & posteriori instructi commendant, quo etiam pertinent observationes *Sommeri* in *A. N. C. Dec. 2. An. 3. obs. 104. 5. 6. Raygeri Dec. 1. An. 6. obs. 204*, quibus abortus per V. S. præoccupati sistuntur, imò occurrunt ejusmodi observationes, abortus successum ex neglecta V. S. verificantes, ubi vix securè ad experientiam *Stalpart van der Weil* provocari & procedere decet, qui *Cent. 1. obs. 65.* reminiscitur foeminae gravidæ, cui quadragies ac novies vena secta est sine damno. Quæ V. S. Cur nonnunquam malè cedat, ex mala potius administratione contingere asserimus, utpote cum qua nonnunquam error, in mensura, tempore, subjecto & pathematibus vix excusandus committitur, ut propterea evacuatio talis non ex oraculo *Hippocratis* aut *Alomari* rejici penitus & è therapiâ Medica eliminari debeat, cum jam abunde constet, quales V. S. *Hippocrates* in gravidis damnaverit, utpote quæ largiorem sanguinis educationem inferentes, vix in gravidis nostratibus ullum locum obtinent, sed tantò certius sinistrum eventum conciliant. Ejusmodi itaque sanguinis ventilationes, quoniam multoties inopportunè etiam, sine mali intentione, sed sub spe auxilii ferendi applicantur i. e. citra respectum temporis, mensuræ, pathematum, necessitatis & ipsius subjecti, ubi indifferenti tempore, tali etiam mensura in ipsa pathematum exacerbatorum statu commendantur, ita etiam mirum nullo modo esse debet, cur quandoque malè cedant; In quo quidem negotio mediæ ætatis Medici admodum circumspècti fuere in inquirendo & annotando illo tempore in quo tantò minus V. S. fœtui noxia inferri queat, de quâ re agit *Zac. Lus. Medic. Princ. Hist. l. 3. hist. 12.*

S. XIII.

Gravidæ, quæ communiter *album* segniorem in d. sic
ciorem

ciorem gerunt, passim etiam ad hanc *excretionem* incongruis remediis promoventur, vel *stimulantibus*, vel *flatulentias* concitantibus, adeò, ut modò loco debite evacuationis *enormes* alvi fluxus concitentur, quos jam suo tempore *Hippocrates* ad abortum inferendum efficaces denunciavit *Sec. V. aph. 34. & 60.* sive spontè eveniant, tantò pejus si exstimulati fuerint, modò etiam *flatulentiæ* molestæ & suspectæ, imò atrociæ & noxiæ *colicæ* mala provocentur, ex quibus ipsis iteratò recurrentibus & vehementius insistentibus non alia nisi talis noxiæ *abortus* promotio enasci potest quemadmodum *Schulzius* in *A. N. C. abortum ex usu Mannæ concitatum* allegavit, ex qua inconvenientes commotiones in primas vias introductæ, imò insuper noxiæ *flatulentiæ* in intestinis conciliatæ sunt, ut post hæc hæc fœtus exclusio secuta sit, quo loco certè minus securum est ejusmodi eventus innoxios expectare velle, quorum recordantur in *A. N. C. Ledelius & Wedelius* & alibi etiam *Sebenkius de gravidis ex Diarrhœd, Dysenterid & usu Dra- sicorum purgantium innoxid liberatis.* Interea cum in partibus inferioribus, tantò magis utero vicinis nulla talis stimulatio in gravidis locum habeat, reprehendenda omninò sunt ejusmodi tentamina; Quin sequuntur etiam ejusmodi temerariam evacuationem nonnunquam graves *Tenesmi*, de quibus *Hippocrates* dicit *Sec. VII. aph. 27. Si prægnanti Tenesmus superveniat, abortire facit*, id quod etiam *Lanzoni* confirmat in *A. N. C. Dec. 2. An. 10. Obs. 34. de abortu ex Tenesmo*, quos *tenesmos* etiam in gravidis *Eresius* taxat; Ut pote verò hæc inconsultæ alvi exturbationes ejusmodi censuram incidunt, ita non minus illa remedia merito rejicienda veniunt, quæ ad *flatulentias* concitandas, tantò magis in foemellis, hæc molestia aliàs usitatus afflicta, inserviunt; Hæ enim *flatulentiæ intestinorum* (non enim loquimur pro presenti de illa suspecta Veterum *uteri* flatulentiæ, quam *Avicenna* acriter reformidat) quantum diuinum & molestis aliàs inferre soleant, docet accurata experientia, unde tanto gravius gravidas offendunt, ut facile istis abortus excipiat. Ce-
terum

terum infelix talis *abortus* concitatio per *purgans* remedium in *Hist. pract. allegatur à Zittmanno in Medic. Forens. Cent. IV. Cas. 64. cum responso Facult. Medic. Lips.*

§. XIV.

Prout *gravide* præterea familiarissimè *Pléthorice* existunt, id quod vel ex ipsò conspectu *turgidarum* venarum per superficiem corporis discurrentium patescit, quò merito accensenda est illa notabilis *dilensio* venarum *uterinarum* sub *ingravidatione*, quæ adeò capaces reperiuntur, annotante *Gräf de mulier. org. gener. dicat*, ut etiam digitus mediocris in earum capacitatem immitti queat; ita non certè minus est error & noxius ausus quando hæc plethora remediis suprà recensitis *calidis* & *volatilibus* commovetur, ubi loco roborationis molestæ & suspectæ ejusmodi sanguinis turgescitiones, *oppletiones*, *infarctus*, imò denique febriles commotiones, aut perfectæ tales febres acutæ, *inflammatoriæ* concitantur, in quibus facillimè ejusmodi foemellæ *abortiunt*, docente ut *experientiâ*, ita ex illa *Hippocrate sect. V. aph. 30. & 55. A. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obs. 241. Hild. Cent. IV. obs. 56. Forestô l. 28. Obs. 67. in Schol.* Et quamvis hæc circumstantia iterum ex observationibus practicis exceptionem aliquam admittat, quâ *gravide* possint allegari quibus sub febrili invasione & decursu nullus *abortus* contigit, sicuti *D. D. Præfidi* cognita est Nobilis quædam mulier quæ *gravida* tertiana corripiebatur, qua per integrum mensem laboravit, ex hac vero male tractata in acutam vehementem incidit, ex qua vero etiam sub divina gratia & benedictione sine *abortus* consecutione evasit, & post decursum trium mensium filium sanum & integrum peperit; Nihilominus ejusmodi *infrequentioribus* eventibus non securè aut generaliter confidendum est, sed à familiari noxio tali exitu argumentando, prudenter & circumspèctè secundum scientiæ & conscientiæ justum dictamen versandum & procedendum est; Allegarunt ejusmodi *abortus* consecutionem ex *continua febre in tertianam* transmutata *Borthol. Hist. Anat. Cent. 3. Obs. 1. & Schenkus l. de gravidis.*

C

§. XV.

Merito insuper atro carbone denotandæ sunt improvi-
dæ *Febrium suppressiones* & temerariæ ac præmaturæ cohibi-
tiones in gravidis, quibus optimè prospici & succurri posse
per ejusmodi perverfam methodum perperam creditur & sus-
spicatur, sub sterili illa persuasione & fallaci circumspeditione
retinendi & conservandi fœtus, ex quo verò tentamine gra-
vidæ in alia ardua *pericula* & labe *proprii* sui corporis conji-
ciuntur, ut dehinc Natura pro ejiendo *peregrino* corpore,
ut *suo corpori* tanto magis prospicere queat, laboriosa sit &
totidem intenta; Quinimò posset quidem *nonnunquam* fœ-
tus talis conservari etiam si gravidæ ejusmodi, transitorio tali
morbo correptæ fuerint, modò hæc *suspecta* consilia & auxi-
lia nunquam adhibita & applicata fuissent, ut in fine denique
natura matris per *malam* medicationem in ejusmodi abortus
conjiciatur & seducatur. Quò pertinent illi perversi assensus
medici, quando fœmellæ gravidæ sibi imaginantur & persua-
dere solent, quasi *calculo* molestatæ & obrutæ essent, cui per-
suasione temerè & inconsideratè auscultari, ac remedia con-
tra calculum adhibere velle, (quæ communissimè diuretica
sunt i. e. vias urinarias stimulantia,) idem est, ac ejusmodi
subjecta ad abortum noxium disponere & provocare; Hinc
etiam talia remedia per sensibilem stimulationem operantia
in gravidis fœmellis merito à peritis Practicis condemnantur,
tantò magis, quia alias veræ *nephritice* fœmellæ gravidæ ad *a-*
abortum inclinant, annotante *Mauriceau* *l. 1. c. 13.* & *Panarolo*
Pentecoste 3, obs. 281. Unde non mirum est, si *stimulantibus* e-
jusmodi remediis ultro urgeantur, quando perfectæ nephriti-
cæ sunt, aut quando temere ejusmodi remediis offenduntur,
ut tantò facilius *abortus* insequatur. Quemadmodum deni-
que *inflammationes* internæ gravidis valdè noxiæ esse solent,
tantò magis si ipsum uterum offendant, quales inflammato-
rias & erysipelaceas invasiones jam *Hippocrates* tali sensu *su-*
nestas prædicavit *Sect. V. aph. 43.* Ita si *inflammationes, erysi-*
pelata aut *phlegmones* insignes, quæ in *externis* corporis par-
tibus

tibus occurrunt, per malam medicationem *repellantur* non nisi proximam causam & occasionem ad *abortum* contribuunt; Unde in hisce etiam circumstantiis circumspectionem & attentionem commendamus.

§. XVI.

Hucusque multiplices causas recensuimus, & talia *media*, cum quibus noxie *abortus* concitari potest & solet, quæ sicuti teneriori adhuc foetui vim inferunt, ita ex horum consiliorum & ausuum improvida & inconsiderata applicatione foetus jam *vitalis*, ut communiter dicitur, i. e. motu *locali* præditus, quem communiter *animatum* appellare assolent, vita sua & præsentis integritate privari & ad præmaturam exclusionem promoveri potest, quas occasiones etiam latius descripsit *Zac. Lusit. Medic. Princ. hist. l. 5. obs. 1. quæst. 3.* Unde sufficere paucis allegasse quod *talìa* medicamina foetui ita dicto *vivo* quam maxime etiam præjudiciosa & *noxia* sint: Cum verò propositum nostrum non urgeat, ut in hac ultima materia describenda latius discurramus, ita hic subsistimus, neque æque mens nostra est omnes abortus causas ex instituto describere, sed illas potius explicandas suscepimus, quæ ex *imperitiis* & *negligentiis* primo loco *medica* profluere, & passim etiam emergere solent, unde jam secundo loco descendimus ad illas principaliores *causas*, occasiones & aberrationes, quæ ab ipsis *femellis* præbentur & committuntur, non quidem semper directè & *ex intentione* pro abortu concitando, sed ex *negligentiis* & minus circumspecta animi & corporis sui moderatione & regimine; Quapropter ex ejusmodi causis etiam *potiores* & *familiariores* recensendæ sufficient.

§. XVII.

Quantum verò valeant ad *immutandos* consuetos vitales motus *Animi perturbata*, valido aliquo documento contra illam mechanicam superfluum speculationem & necessitatem quotidiana experientia edocet, quippe quæ commotiones tantò certius in *gravidis* efficaces deprehenduntur, quanto frequentius ex ira, præcipuè non satiata, terrore, desiderio

fiderio immodico, curis & ærumnis multiplices abortus oc-
 currere solent, ex quibus illæ, quæ alias ad illud patheti-
 carum commotionum exercitium sensibilibus & præcipi-
 tanter inclinant, tantò certius *abactionem* talem experiun-
 tur, quòd alias in *motibus* suis disponendis, gerendis & diri-
 gendis valdè *sensibiles* existunt; Unde sanè nulla causa *præsen-
 tioris* & numerosioris efficacæ pro concitando abortu, quam
 hæc ipsa, occurrit, ut tantò magis in sensibilibus foemellis e-
 jusmodi occasiones & commotiones evitandæ, præoccupan-
 dæ & interdicendæ veniant. Non infimi etiam census in hac
 classe sunt illæ commotiones patheticæ cum *immoderatis de-
 sideriis* succedentes, quibus foemellæ varia *absurda* comen-
 denda seligunt, sollicitant, imò anxie ac laboriose inquirunt
 & exclamant; Ejusmodi stolidi *appetitus*, uti vix rationabiliter
 à pravo illo & corrupto *fermento* & acido stimulante in
 Ventriculo deduci possunt, cum in omnibus reliquis foemi-
 nis sub gestatione foetus cruda diata utentibus familiare hoc
 accidens esse debeat, quod tamen eventui & quotidianæ ex-
 perientia numerosissimè & quam maxime contrariatur, tantò
 magis in magna turba plebejarum & rusticarum gravidarum;
 sed quoniam illi appetitus in *illis* foemellis communis-
 simè occurrere solent, quæ alias in desiderio & appetitu suo
lepidæ, delicatæ, inconstantes, aberrantes & pertinaces esse so-
 lent, ita meritò Picam talem & Malaciam pravis *desideriis* &
patheticis motibus annumeramus, ex quibus non modo pro-
 pter deglutita absurda, sicuti vitales functiones plurimum in
 genere turbantur, ita hoc sensibile negotium gestandi & fo-
 vendi foetus impeditur & confunditur, exindè etiam abortus
 concitatur, sed etiam quia hi appetitus ex pravis & *perversis*
moribus, intentionibus & pathematibus profluunt, tantò faci-
 lius ejusmodi *exclusio* acceleratur, quam nihil promptius ut
 modo diximus, quam animi commotiones sensibiles & tenaces
 concitare & procurare possunt: descripsit ejusmodi no-
 xam foetui ex Pica illatam *Riedlinus A. N. C. Dec. 3. An. 5. & 6.*
obs. 1. 8.

§. XVIII.

Secundo loco allegandæ veniunt illæ graves *aberrationes in regimine*, quod pertinent incontractæ, subitanæ, & sensibiles *mutationes caloris & frigoris*, quas jam suis temporibus *Hippocrates, Massarius, Primerosius & Fostonius* reprehenderunt, utpote quibus solennes secretiones & excretiones reliqui etiam motus *vitales* tantò magis in *sensibilioribus* subjectis insigniter *turbantur*, ut sub hac *motuum & humorum* concitatione, impulsione & retropulsione Natura ad temerarium hoc tentamen iniquè provòcetur. Huc etiam pertinent inconvenientes *gracilitatem & formositatem* corporis affectantes *stricture, compressiones & ligaturæ* abdominis & lumborum, quas *Mercurialis l. de M. M.* notanter recenset, non minus etiam fortes corporis commotiones per *saltationes, ponderum elevationes & gestationes* aut alios labores partium immodicas *distensiones* inferentes; quo insuper illas *internas* humorum commotiones per *inebriationes* in dissolutis foemellis introduci solitas referimus, quas verò species singulas ex aliis ad nauseam repetere inconveniens esse reputamus. Hoc verò loco adhuc quam maximè attendendam commendamus *Plethoræ* rationem, utpote quæ post *animi pathemata* proindè non modò ad *abortum* subeundum disponere solet, sed & illum planè sub certis circumstantiis introducere solet, id quod jam ex antiquissimis annotavit *Galenus*, quando nimirum sub ejusmodi perverfis & negligentioribus *regiminibus* aliisque pravis *tentaminibus* indiscretim & inconsideratè plethora hæc commovetur, ut non rarum sit, ob plethoram talem semper conservatam in una foemella *plures* abortus infectos esse & vidisse, quos tamen imposterum prudens, tempestiva & *circumspecta* sanguinis ventilatio præoccupavit, cujus dignissima & in praxi medica utilissima circumstantiæ jam uberrimam mentionem fecit *Magnif. D. D. Stahlus in Diss. de Abortu & Fœtu mortuo*. Propterea etiam invalescere solent illi abortus *habituales* stato ordine & tempore recurrentes, quales recursus in prælaudata *Dif-*

fertatione allegantur; Hujusmodi abortus certo tempore & septimana recurrentis historiam lectu dignam profert *Clauderus in A. N. C. Dec. 2. A. 7. obs. 148. conf. Panarolus in Pentecoste obs. 10. de Muliere quinto Mense semper abortita, V. Sine preservata.* Tantò facilius verò talis plethora ad abortum *promovere non modò potest, sed quod maximum est, etiam passim solet,* quando alias ejusmodi foemelæ largiorem menstruum fluxum expertæ sunt, aut *artificialium sanguinis eductionum administrationibus sese hinc inde ad-dixerunt,* quæ tamen sub hoc graviditatis statu, menstruo præprimis hoc fluxu restitante incuriosius *negliguntur,* nihil in super *dieta* immutatur, sed plena & frequens conservatur, præterea etiam *sedentaria* ac otiosa vita multipliciter concurrit, ut dehinc tanto magis talis plethora colligatur, quæ denique præcipuè in *sensibilibus* gravidis tanto citius & facilius alterari, & sub tali *foetia* matris & foetus sensibilitate noxia existere solet.

§. XIX.

Sicuti variæ ejusmodi inconsultæ *commotiones* abortum concitare & promovere solent, ita non minùs ipsa nimia Quies & otiosa vita, (quæ communissimè diurnas abdominis *compressiones* sub gravidarum desidia inferre solet) eundem procurare & producere hucusque suevit; Prout inter alios *Schenkius l. 4. obs. medic. de gravidis abortus ex nimia quiete* reminiscitur; Hæc enim *sedentaria* vita ut non solum ad *plethoræ* genesin faciliè & multum contribuit, ita præterea ad *spissitudinem* molestam & suspectam sanguinis conciliandam aptè satisfacit, quæ deinceps *progressivo* vitali motui non leve officiculum & *impedimentum* inferre solet, ut nonnunquam Natura pro *exoneranda* hac molesta quantitate & pro *corrigen-da* in simul spissitudine ad excretionem sanguinis menstruum consentiat & contendat, insuper verò etiam foetum, tanto magis si adhuc tenerior existat, & motibus faciliè obediat, excludat, tanto magis vero, quod iterum & non superficiariè notandum, sub ejusmodi otiosa & sedentaria vita abdo-

abdomen, eò ipso verò etiam uterus molestè comprimitur, ut in hujus sufficienti *expansione* impedita & destituta Natura necessaridò *hospitem* suum propter *capacis* & congrui spatii defectum exturbare debeat. *Immoderatus* denique *motus* corporis huic quieti oppositus ad immodestas sanguinis *commotiones* sufficit, quæ verò in gravidis plethoricis sensibilibus, excretionibus sanguinis largioribus *adsuetis*, ut plurimum noxiæ sunt & præjudiciosæ. Et hæ principales sunt causæ & occasiones, quibus ex sua parte gravidæ quandoque per *negligentiam*, immodestiam & *imprudentiam* abortum promoveri passim solent. Quales potiores causas etiam alibi collegit. *Crato Consil. Medicin. Consil. 352.*

§. XX.

Quemadmodum vero omnis ignorantia, negligentia & temeritas sub *errorum* titulo comprehenduntur, ita etiam merito sub *pœna* stant, qua partim *artifex* minus circumspectus & audaculus, partim etiam *famella* improvida & negligens affici debeat, ita sanè minimè in rebus *vitam* hominis concernentibus ignorantia rationabilem excusationem admittit, & quamvis Medicus hoc delictum, nimirum exturbationem foetus, neve *velit* neve *intendat*, sed potius bono animo ejusdem *conservationi* inhæreat, & propterea non in pœnam *consentire* videatur, attamen vix inultus hic error auferri potest (dum ex aliqua temeritate profluit) quamvis non æque corporali pœna puniendus existat, cum præter voluntatem commissus fuerit, ut tali ratione justa aliqua & *conveniens* pœna, circum spectionem, attentionem, omnis experimentandi libidinis excussionem in rebus dubiis & incertis abstractionem inculcet, edoceat & conciliet, cum econtrâ ubi nulla *pœna* ibi nullus *metus* occurrat; Exinde enim invaluit illud opprobrium, quod omne temerarium homicidium capitalem pœnam inferat, medicis verò concessum sit impunè occidere, quod etiam h. l. valet, ubi cum incertis ejusmodi remediis & consiliis abortus promovetur, ut nihilominus talis *artifex* non propter *intentionem*, sed propter malam *intentionem*

tionem culpandus sit & justitiam ac pœnam mereatur. Quo certè referendus esset textus ille *JCorum* l. 38. ff. de pœnis §. 5. *Qui abortionis aut amatorium poculum dani & si dolo non faciant, tamen, quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur. Quodsi verò mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur.* Ubi hic textus non æque de poculo intentionaliter ad abortum concitandum oblato loquitur, sed in hac oblatione *dolum* excusat, i. e. malam illam intentionem & voluntatem, interim emphaticè ad *malum exemplum* respicit, adeoque tunc demum pœnam dicitur, ita posset etiam hic textus in illos quadrare, qui per *ignorantiam* & *negligentiam sine dolo* alia remedia offerunt, ex quibus tamen abortus sub individualibus circumstantiis oritur, ut hoc sensu etiam poculum abortionis nuncupari queat, id quod etiam dehinc eventus attestatur, ubi merito exulant illæ excusationes: *Ich hätte es nicht gedacht! Es war nicht also meine Meynung; sed germana & sincera veritas* respondet: *Bersehen ist auch verspielt / unde omnis talis negligentia pœnam meretur, quamvis non corporalis* secundum *JCorum* mentem esse possit *Vid. Leg. Mag. de Rerum & Verb. signific. l. 6. Tit. I. quaest. 2. num. 1.*

§. XXI.

Quin imò, cum artifices in tali medicatione & cum ejusmodi instrumentis *absolutè certi, securi & firmi* esse haud queant, sed communiter rectè *dubii & suspicaces* existant, ita si nihilominus sub tali incertitudine & titubatione ejusmodi consilia & auxilia applicant, eò ipsò *consentiunt* in *duplicem finem & duplex etiam premium*; vel si res bene cedat, in *gloriam* & bonam existimationem obtinendam & *Soltrum* dignum acquirendum, vel si malè exeat, in *vituperium* & ignominiam, quibus tamen deinceps quòvis studio declinandis sedulo invigilant & prospiciunt: In ultimâ verò hâc circumstantiâ tacitè consentiunt in promeritam pœnam, secundum illud *JCorum; Qui consentiunt in delictum, consentiunt etiam in pœnam.*

pœnam; Quod verò Medicus utrumque attendat eoque contentiat, anxii nonnunquam expectatio Sotri, aut si res male cesserit, accelerata remotio & per multos tropos distracta excusatio attestantur. Nequè solum malus artifex pœnam meretur, sed ipsa etiam *fœmelle* improvida & negligentes, quæ abortum perpessæ sunt, quibus quidem abortus nulla pœna est, sed quæ *propter* abortum puniendæ essent, ut imposteriorum pravos suos mores emendent & deponant, econtrà verò circumspēctiores & prudentiores evadant, omnes temeritates & negligentes tractationes circumspēctè evitent, ut ita taliratione *fœtus* magis vindicandus sit, quia matre hanc violentiam sustinuit, aliàs æque ejusmodi fœmellæ (ubi nullus vindex & nulla pœna est,) nullam etiam culpam agnoscent; sed imposterum & circumspēctius versari, & pravas illas animi & corporis commotiones fœtui maxinè noxias effugere & omittere discant. Quamvis verò ejusmodi fœminæ non æque perpetuò *proerētis* cum ejusmodi malis moribus & regiminibus abortum urgeant, attamen propterea non penitus pœnam declinant aut excidunt, sed mitiorem justitiam & lenius iudicium merentur & expectant; Quicquid enim per *negligentiam* contingit illud *erroneum* est, omnis verò *error* præsupponit *culpam*, omnis *culpa* meretur *pœnam*, aut ut *Cti* expriment: *Magna negligentia culpa est*; imò etiam aliàs magnam *negligentiam* pro *dolo* expriment, quamvis aliqui eundem non pro *vero*, sed *presumpto* explicent. Denique pro ut nonnunquam Causidicus iudici vim faciens æque pœnam incidit & ære muldatur, ita medicus pariter, qui negligenter aut temerè Naturæ, tanquam motuum vitalium iudici & gubernatori vim facit, pœnâ affici deberet, ut imposterum omnem immodestiam, negligentiam & ignorantiam in causâ aliàs integrâ benè regendâ & defendendâ excutiat, aut causis & remediis dubiis non inhæreat, multò minus illa applicet, unde *consultius est, nihil consulere, quam malè aut dubie consulere.*

§. XXII.

Sed placet ad scopum nostrum iterum revertere, & pro
D melio-

meliori ordine ac connexione illas malas & *sinistras* *judicationes* allegare, ex quibus deinde consilia talia & auxilia inconvenienter *indicantur* & incongruè etiam applicantur. Multoties enim perperam sibi persuadere solent artifices, quod *foetus* in uterò in multiplicibus imò quotidianis *lesionibus* subiacet aut affligitur, & ita modò ad sensum antiqui concentus suspectam *intemperiem* frigidam, alias etiam calidam, accusare sciunt, quin etiam modo nimiam laxitatem, alibi nimiam ejus stricturam inculpate norunt, quibus speculationibus, & infrequentioribus eventibus in vita humana occurrere solitis dehinc acriter & austerè inhaerent, & sic inutilibus & inconvenientibus magis curis invigilant, cum sine ex centum gravidis vix una aut altera occurrat, cui talis labes aut huic alia analogi in uterò verè obringat; Unde certè peritus & rebus suis rationabiliter consulens artifex ejusmodi *infrequentes* effectus in *quotidianam* experientiam transferre & secundum illum raram eventum cum ejusmodi remediis atoniam, frigiditatem aut caliditatem respicientibus ac corrigentibus luxuriari minimè debet & solet; Non enim vel Pathologo, vel Therapeutæ confert inquirere, quid fortè *feri possit*, sed quid in communi vita inter nostrates præcipuè aut illas nationes, ubi versatur, *feri actu soleat*. Quapropter ejusmodi speculationes inconvenientes graviter communissimè non solum possunt, sed tantò certius & efficacius Medicum folent seducere, ut deinceps ejusmodi indicationibus *confortandi* Uteri temerè assentiat & loco debiti auxilii non nisi grave nocumentum producat & inferat. Ejusdem furfuris conceptus ille diffusus est, de *debilitate nature* matris in defungendo hoc gestationis officio, ex qua falsa opinione omnia *parbemata* nonnunquam in gravidis occurrentia *debili* nature adscribuntur, quæ tamen rectius *insuee* & *aversantii* Nature debentur, quam deinceps *calidis* illis remediis *roborare* contendunt, sed eò ipso *anomalias* illas concitant & provocant.

Non ultimæ exillimationis est illa lepida conjectura & opinio de *sanguine menstruo* ejusque retentione sub ingravidatione & gestatione, quasi cum illo tot *impuritates, acrimonia, fermenta, inquinamenta* imo *venena* retineantur, quæ passim *stimulantem* suum noxium effectum exerentia, vomitus, flatulentias, colica tormina, hysterica pathemata, alvi turbas & commotiones, spasmos &c. producerent, quibus deinceps remediis edulcorantibus, evacuantibus, carminativis, antispasmodicis, confopientibus, cephalicis, nervinis, antiepilepticis, acrioribus aut miscellaneis succurri passim & superflue solet, ut sub tanto, *inconvenienti* & perverso talium remediorum usu Natura matris *in ordine* suo vitali graviter *pervertatur* & confundatur, & quæ cum *directione* suorum motuum præcipue etiam occupata esse debet, in tali statu non æque sufficienter *fœtui* suo prospicere potest, sed eundem demum præ *tedio* & fastidio impatienter *exturbat* & rejicit; Tantò ineptius verò tot superflui uteri *obvifcationes* & *vapore* finguntur, & ex iisdem tot hysterica schemata & pathemata plebeja magis quam rationabili medica concludendi ratione deducuntur; præterea remedia uterina, hystericae passioni vulgo dicata calida carminativa prodiga etiam manu obruduntur, ex quibus postea commotiones in abdomine & circa uterum anomalice succedentes provocantur, ut propterea Natura matris ad excutiendum fœtum urgeatur & disponatur; Huc etiam pertinent illæ præter necessitatem formatae *speculationes* de fœtu, ut per primos menses adhuc *tenui*, ita etiam *debili*, quem proinde ejusmodi malæ opiniones *confortare*, confirmare & conservare suadent, cum in ejusmodi tempore natura matris æque ac fœtus *socii* aliqua *sensibilitate* gaudeant, & diversis aliis *motibus* ac persuasionibus ita dicendis libere *auscultent*, ut dehinc natura matris promptius & expeditius hunc fœtum excutiat, quippe qui ejusmodi motibus ut sensibilis & tenuis adhuc facile obtemperat & ultimam hanc exclusionem subit. Tantò dignioris animad-

animadversionis hæc est circumstantia in foemellis *sensibilioribus & delicatioribus*, quibus jam *semel* talis abortus obtigit, quando in proxima ingravidatione *inconvenientes* ejusmodi medicationes & instrumenta talia adhibentur, ut *de novo* plurimum ex iisdem *abortus* talis iterum noxiè concitetur & inducatur.

§. XXIV

Gravis hic & tantò magis inculpandus *error* est, quando foemellæ, quæ jam *semel* abortum perpessæ sunt proximo imprægnationis tempore cum *ejusmodi* remediis uterinis confortantibus & acrioribus analepticis tractantur, quibus cum natura ita *impellitur*, ut denuo foetum hucusque conservatum tanto promptioribus motibus expellat, eosdemque impetus cum gravi *hemorrhagia* obfirmet, ut imposterum & tanto difficilium cum temperatissimis consiliis & maxima circumspeditione motuum vehementiores progressiones mitigari queant, quo magis per *habitum* aliquem natura denuo conceptum foetum impatienti aliqua audacia rejecit; Unde certè quandoque frustra & inconvenienter culpa in *Utero* aut *fetu* inquiritur, quæ rectius *motibus* & hac *activitate* atque *sensibilitate* nature innititur, ut propterea nulla debilitatio aut effectus quispiam præcipuè talis, qualem descripsimus, accusari debeat, cum motus excedant, in *matre* gravida provocati & temerè concitati. Incidit etiam hæc *perversa* & dissulsa opinio de *imbecillitate* *fetus* multoties in illa tempora, ubi foetus jam localibus motibus præditus deprehenditur, qui si non perpetuo *equabiles* contusorios & voluntarios motus exerceat, sed per aliquot dies magis *quietus* delitescat, statim *debilis* aut ægrotationibus afflictus præsumitur, unde proximum refugium ad roborantia remedia instituitur, quæ multoties, imo communiter frustra & cum damno adhibentur, tantò magis, quia *non necessaria* sunt, quæ noxa tanto certior & præsentior est, quò magis *sensibilis plethorica* & ad *commotiones* subeundas facilis existit foemella, imò quo copiosius & sub *perversa* methodo hæc talia injunguntur.

§. XXV.

Hinc ab experientia medica neuiquam absudit, quod ex confusa tali & incongrua tractatione foetus *vivus* antea, nunc *emoriatur*, quem ut mortuum & *adversum* deinceps sensibilis natura matris prosequitur; imò demique ut mortuum & *indignum* excludit; Quapropter prædicta consilia, instrumenta & regimina æque pro foetu vivo *enecando* & tunc demum ad exclusionem disponendo ac pro *abortu* concitando quadrant & satisfaciunt, unde in eiusmodi circumstantia omnino etiam circumspectione uti confert, quando foetus *motibus* illis eminenter de *vita* restantibus gaudet. Noxia verò omni modo per sepe est talis abortus concitatio, quia non modo in sensibilibus subjectis cum magno periculo & *anomia* succedit, sed & graves & pessimas *consecutiones* ac vitalium functionum turbas in matre abortum perpessa introducit, quare placet jam in ordine paucissimis potiora *phenomena* ad rem medicam pertinentia in *Historia* hujus abortus colligere & deinceps quantum sufficit per justas causas connectere, ut tantò magis perspicue pateat, quid commodi ex hac notitia in artem medicam affluat & redundet.

§. XXVI.

Obtingit itaque abortus *junioribus* familiaris, ut & *ætiologicis* ac *sensibilibus* foemellis, tantò magis insigniter *plethoricis* & diversis suæ plethoræ *commotionibus* adfectis, quæ insuper *largas* & expeditas menstruas evacuationes expertæ sunt; tales foemellæ communiter etiam *animi* ad resolutiones & actiones *præsentioris*, præceptis, vehementis, immorigeri & pertinacis existunt; incidit proinde usitatus *abortus* in illa *tempora* quibus alias eiusmodi foemellæ fluxum suum *menstruum* secundum consuetum temporis decursum suscipere & experiri deberent, tantò magis si antea hic fluxus *recursus sui* tempus servavit, tales foemellæ, si proxime abortus instat, experiuntur primum in *lumbis* gravativum aliquem, ponderosum, *tensorium* ac molestum sensum, una cum animi *ædiosa*, torpida, morosa & fastidiosa affectione, appeti.

appetitùs majori dejectione, *moralì* etiã rerum & occasio-
 num intercurrentium, alias quidem acceptarum & gratarum,
aversione & fastidio; *Mammæ*, quæ antea turgidiores & suffi-
 cienti naturali densitate præditæ fuere, nunc *laxiores* & pen-
 dulæ deprehenduntur, ex quibus etiã *Lac* imperfectum suc-
 cessivè emanat, secundum illud monitum *Hippocratis Sect.*
V. aph. 52. & lib. Epid. 2. Sect. VI. quæ verò circumstãtia
 in illis gravidis observanda occurrit, quæ jam *vivum*
 i. e. locali motu præditum fœtum gestarunt. *Lumbi*, antea
 magis *extensi*, nunc *constricti* magis comparent; *Facies*
 solitò magis *pallida* & stricta conspicitur, *oculi* etiã præter
 solitum concavi delitescunt, *vires* in externo habitu lan-
 guent, imò conqueruntur ejusmodi foemellæ de *gravitate*
 membrorum maximè *femorum*, pedum & reliquorum artu-
 um. Si fœtus *nondum* vivus existit, *mammæ*, quæ antea suc-
 cessivè *inturgescere* sueverunt, nunc iterum sub aliqua
 pendula laxitate *extenuantur*, secundum *Hipp. aph. 57. Sect. V.*
 In *abdomine* perferuntur *pondus* molestam, quandoque ad
 latera *volutans*, quandoque oriuntur *inflationes* ventris in-
 commodæ; *Abdomen*, quod antea in *altum* & *antrorsum* ex-
 tensum fuit, nunc *pendulum*, *laxum*, *flaccidum* & squamo-
 sum deorsum inclinat; alternant nonnunquam ejusmodi
 molestiæ in abdomine cum *pressionibus* *palpitationibus* & *an-*
gustationibus; intercurrunt *anxietates* citra notorias causas;
 corripit hinc inde ejusmodi foemellas *horripilatio* transitoria
 & intercurfans, alternans cum *phlogosi* & *anxietate præcor-*
diali; Immutatur quandoque *color* faciei ex *pallore* in rose-
 um *ruborem*; *somnus* ut plurimum est *turbulentus* & incon-
 stans, sub quo verò etiã horrida *insomnia* quandoque for-
 mantur. Affliguntur passim tales foeminae capitis *vertigino-*
sis & *remulenti* sensationibus; fatiscit *motus* fœtus in utero,
 quando antea vivus fuit, quin imò nonnunquam ita *anxiæ*
 evadunt ejusmodi foeminae, ut faciles & pronæ sint in *lipo-*
thymias, dicunt: *Es wäre ihnen so weichlich umb das Herze*;
 Quædam *tenesmis* intercurrentibus molestantur; si abortus
 ex *nimia violentia* oritur, *convulsiones* nonnunquam super-
 venisse

venisse *Aëtius* observavit, quæ verò adeo familiariter non occurrunt. Quandoque obtingunt inanes vomendi conatus cum *nausea* & *cardialgia* stipati; Intercedunt insuper in quibusdam *palpitationes cordis*, quales circumstantiæ diversimodè in gravidis antecedunt, donec tandem *sanguis* primò paululum *parcius*, successivè verò *largius* & impetuosius ex genitalibus profluat, & sub multis *pressoriis*, strictoriis & tenforiis doloribus ipse *fœtus* exprimitur & rejiciatur, quamvis alias si fœtus mortuus tali ratione excluditur, primò aqua sanguine tincta *loturæ carniū* instar effluit, donec etiam in sine *sanctus* sanguis assatim excurrat. Quando itaque post factam conceptionem *mensēs* restitant, sub ejusmodi verò & prædictis circumstantiis recurrunt, non levis suspicio est subsequentiis & *futuri* abortus, quod indicium etiam antea citatus *Aëtius* tanquam palmarium ita dicendum *pathognomonicum* abortus signum annotavit; Et ita non æq; plenarium assensum *Blegny in Zodiaco Gallico An. 2. Mens. Jul. obs. 1.* meretur, quasi *fluxus sanguinis* ex Utero tali modo succedens *innoxius* esse possit, modo non ex ejusmodi vena contingat, quæ cum *placenta* uterina coheret, quod quidem planè reservatum & rarissimi eventus conspicuum est postulatum, multam cæteroquin limitationem inferens & Medicum peritum nullo modo certiorans.

§. XXVII.

Ex hæc pathematum Syndrome & multitudine facilè apparet, quam *periculosè* imò *noxie* abortus succedat, imò etiam non aliter, quam tam *suspensè* exeat, unde placet adhuc paucis de *noxie exitu* & *consecutionibus* periculosis ejusmodi abortus differere. Communissimè verò inseparabilis ab abortu est magna, diuturna, impetuosus, larga, imò excedens *hæmorrhagia* ad lipothymias usque angens & sub multis anomalicis motibus decurrens (observatio enim est illa *Acoluthi hist. in A.N.C. Dec. 2. An. 4. Obs. 71. qua abortus omni lochiorum fluxu desistit* exprimitur & describitur, qualis in reliquâ communi experientiâ rarissimus esse solet) sub quò fluxu circâ illas rupturas & superficiales uteri *dilacerationes* successivè
fungo.

fungosum quoddam concrementum *tunicaceum* generatur, quod illicò etiam aliquandiu remanet, ex cuius presentia Natura semper *occasionem* suscipit hanc hæmorrhagiam profrequendi, & denuò ac repetitis vicibus *innovandi* atque impellendi, ut propterea sub multis inconvenientibus aliis concurrentibus motibus *foemella* talis enormem sanguinis quantitatem profundat, donec tandem vel *cachecticus*, in humidioribus subjectis *hydropicus* aut *tympanicus*, in sicciorebus verò & strictioribus *hæcticus* status insequatur, aut ex primò tali abortù *foemellæ* in illum pravum statum conjiciantur, ut factà *novâ* conceptione denuò *novus* abortus facillè succedat, cum quo *fungosa* talis epigenesis tanto acerbioribus motibus ejicitur, & ex quò *repetitò* abortu ejusmodi *foemellæ* denique perfecte *sterilescent*, in *turbas* menstrui fluxus prolabuntur, & tunc demùm si antea ex ejusmodi incommodis evaserunt, plenarium *cachecticum*, *hydropicum* aut *hæcticum* statum incidunt ac facillè exindè pereunt, ut nullum quandoque fermè consilium medicum superfit, quo dehinc misere ejusmodi *foemellæ* restitui queant. Ex quibus omnibus abundè constat, quam *noxie* abortus succedat & exeat, & qualia congestaria ejusmodi fœtus exclusiones per ignorantiam & negligentiam concitatae inferant aut concilient. Quæ noxa tanto magis verificatur, quando cum inconvenientibus medicaminibus abortus talis concitatus est.

§. XXVIII.

Quomodo hæc, quæ huc usque in principalioribus circumstantiis hujus negotii dicta sunt, in *Pathologia* medica convenienter cohereant, brevissimis etiam à nobis explicandum erit. Est itaque natura matris tanto magis gravis, de qua præcipuè loquimur, quam maxime *sensibilis*, tanto magis quia non solum *suo* corpori in hoc extraordinario statu necessariis & *congruis* motibus prospicere debet, sed & hos suos motus ita *instruere*, ut *fœtus* quem gestat exindè præcipuum fructum, minimè verò nocumentum aliquod capessere possit, unde sibi æquali dexteritate & convenientia *fœtus*

foetui suo prospicere & indulgere debet, propterea etiam inquam in & cum motibus suis tanto magis sensibilis deprehenditur. Qui enim alias ex hominibus duplici arduo negotio in moralibus intentus esse debet, ille longe majori assiduitate, circumspeditione, vigilantia & sensibilitate operari solet, ita perinde in tam analoga actione natura delicatius motus suos exercere solet; secundum hanc generaliore *sensibilem* activitatem facilis est natura ad *motus* exercendos, imitandos & prosequendos, unde etiam tanto magis in sensibilibioribus subiectis, de quibus præcipuus nobis sermo est, *levissimum* stimulum sequi & *prosequi* solet, quippe quæ, cum in primis gestationis septimanis imò mensibus *menstrui* sui fluxus adhuc proximius, intensius & *sensibilis* reminiscitur, adhuc *ambigit* inter *retentionem* & *excretionem* in genere, ad utramque verò admodum activa & sensibilis existit, tanto magis ad *excretionem*, quam ordinariè frequentius perficere & administrare solet & *suevit*, cum e contra hæc foetus *retentio* non æque tam *solemnis* sit & durabilis ac *menstrui* fluxus *successus*, qui in variis etiam *gravidis* à conceptionis factæ primitiis *aliquandiu* sine matris æque ac foetus detrimento continuat, cujus phænomeni penitiorum mentionem faciunt *Brassavola in Hipp. Sect. V. aph. 60*, *Rodericus à Castro*, *Schenkius*, *Solenander*, *Pechlinus*, & alique, & qui sub *lactatione* in diversis foemellis iterum succedit; ad *consuetos* itaque & magis solennes motus respiciens & *concludens* natura, magis ad *excretionem* inclinat quam *retentionem*, unde subministrato levissimo stimulo, tanto facilius in *humorum* æque ac *partium* congruorum intensiorem & fortiorem commotionem *consentit*, & propterea ad *inferiora* magis loca motibus suis progreditur, aut proximè ad excretionem illico promovendas & prosequendas cooperatur & ita facile *abortum* format, qui tanto promptius succedit, quò *tenerior* adhuc est foetus, neque adeò *firmiter* utero coheret, hinc etiam ille ipse constricto leviter utero tanto citius ab eo *avellitur*, & facta prompta avulsione, tanto expeditius denique *excluditur*.

E

§. XXIX.

Facillimè itaque ad abortum disponunt remedia illa *ca-
lida* ad *spumescentem* sanguinis commotionem contribu-
entia, cui ebullitioni spumefactoria tanto promptius natura cum
progressivi & tonici motus intensione supervenit & demum
tantò expeditius viribus pro presenti factis valide instructa,
inò cum *majori* activitate sensibili occupata ad excludendum
foetum accelerat; Hinc etiam omnes illæ *occasione* hanc com-
motionem *Sanguinis* inducentes & concitantes ad hunc e-
ventum collineant, ex quibus palmarium locum suscipiunt *A-
nimi pathemata*, tanto magis vero illa, quæ cum motibus
magis ab *intra extrorsum* progrediuntur, ut sunt *Iracun-
dia*, immoderata *desideria*, *voluptates venereæ*, inò et-
iam reliquæ patheticæ commotiones, in quibus anima in
hoc negotio retinendi foetus *confunditur*, adeoque ad *pri-
mam* suam ideam formandæ & urgendæ *evacuationis* re-
labitur; Siquidem alias natura matris repentino *terrore*
perculsa tantò magis sibi in hoc periculo consulens fo-
etum quantocyus eicit, ut sibi dehinc propius prospicere
queat. Ejusmodi noxiæ abortus provocaciones oriuntur sub-
indè ex in opportuna & immodica sanguinis *eductione*, cui suo
cum arbitrio & beneplacito natura liberè non assentiens, tan-
to facilius cum illa proximè ad evacuationem seducitur, quam
etiam multoties cum motibus suis *exturbatoriis* prosequitur,
tanto magis verò illis, cum quibus alias *consueto* more sangui-
nem per *menstruum* fluxum rejecit; Interim *congruè* & con-
venienti sanguinis abundantis eductioni placidius *assentit*, ut
cum tali *superflui* & molesti sanguinis eductione eadem na-
tura *sublevetur*, ne ipsamet hanc molestam abundantiam pro-
priis ausibus, motibus & inventionibus imminuere debeat; in
ultimo conamine persèpè in implicato hoc statu *mensura* ju-
sta, *ordo*, *tempus*, *necessitas* & *equalitas* transcenditur, cum
econtra, quo convenientius natura tali cum depletione suble-
vatur, eo magis huic opportuno & accepto auxilio *auscultat* &
in eo infimul placidè acquiescit; Quo plus verò præterea
fangu-

sanguinis subtrahitur, eò magis non modò foetus necessario alimento *desituitur*, ut natura matris jam sua sufficienti alimonia deficiens, hospitem suum *peregrinum* dimittere & excutere debeat, ni ipsimet hujus conservatio noxia evadat, cum *quod non habet sufficienter pro suo corpore, illud alteri dare neque potest, neque debet.*

§. XXX.

Ex quibus itaque fluit, nihil *temere* in gravidis nedum *negligenter* aut titubanter committendum, unde etiam neque *incertis* methodis & instrumentis inhærendum, sed potius maxime *circumspecte* versandum, tantò magis vero subsidia commoda & congrua ita *instruenda* esse, ne aliquo modo illam naturæ *sensibilitatem* offendere possint, aut intempestivè *provocare*, imò prospiciendum est, ne aliæ quam naturæ *accepte* commotiones excitentur, neve in *perverfis vias* natura seducatur, sed ita tantò curatius sensibilitati naturæ prospiciatur; quo loco etiam differenti *personali* sensibilitati invigilandum est, ne quidquam committatur, quod *individualibus* alicujus subjeçti *moribus* contrariatur; Non enim ubique *abortus* ita reponi possunt, uti *Barthol. in bist. Anat. cent. 4. bist. 57.* recenlet, sed qui semel commissus est secundum explicationem nostram, pessima confectaria promittit & inducit. Placet tamen adhuc in hac tractatione ultimo annectere illa *facti abortus indicia*, quæ nonnunquam in *causa forensi* à Magistratu inquirenda commendantur, ex quibus suspecta scemella abortus crimine quantisper argui queat. Quam fallax verò judicium formari possit quando hæc inquisitio non *tempestive* instituitur, explicarunt jam *Varandæus & Primerosius de affectibus mulierum* ut & *Bohnus spec. 3. Medic. forens.* Quodli verò *tempestivè* hæc inquisitio successerit, *fluxus sanguinis ex genitalibus, apertura & hiatus, aliquarum internarum orificiarum uteri, mollities & relaxatio genitalium, laxitas & stacciditas abdominis, extenuatio lumborum & mammarum*, ut indicia talia annotanda erunt; Hæc verò signa non valent in tali abortu, qui breviter post *conceptionem* successit,

ubi citra aliquod indicium exigua *tunicacea* substantia cum sanguine menstruo profluit, quemadmodum *Schenkius* & *Kerkringius* abortum ovuli adhuc recenter in utero conservati allegare solorunt, sicut & ipsi *D. D. Praesidi* ante aliquod tempus talis abortus feminae honestae, quae aliquoties antea peperit, conspiciendus oblatu est, ubi cum sanguine menstruo membranacea tunicacea substantia exclusa est, quae non cum mola aut frusto retentae placenta uterinae comparari potuit, sed quae cavitatem aliquam sub hac tunicacea consistencia constituit, ex qua humor gelatinosus cum tenerioribus coherentibus fibrillis effluxit quamprimum aperta fuit; Postulant itaque & praesupponunt praedicta indicia abortum ex tertio, quarto imò quinto mense succedentem, qualis inquisitio abortus locum proinde etiam habere solet, quando fœ mella quaedam *lucris* causa nonnunquam abortum fingit, de qua materia vid. *Paul. Zach. quest. Medic. Leg. T. 3. tit. 2. quest. 9.* quibus ipsis in prima nostra propositione sufficienter pertractatis ad alia progrediendum nobis erit.

§. XXXI.

Placet adhuc paucis illam quaestionem *Medico-legalem* annectere & decidere, *an etiam ex fundamentis artis Medicæ & rationabilis indicationis licitum sit, abortum in casu urgentis necessitatis promovere*, quæ quaestio tripartita propositione exponi potest. i.) An etiam licitum sit ex principis medicis abortum promovere, 2) si hoc licitum sit, quando & ubi conveniat, 3) quomodo denique promoveri debeat; Quamvis enim nobis abundè constet dissensus *Jurorum & Medicorum* in hac materia, qui exquisitè à *Paulo Zachia l. 6. tit. 1. qu. 7.* explicatur; non tamen inutile erit, aliquas paraneses annectere & quantà circumspectione opus sit in hoc negotio, monere & commendare. Commune est problema, si occurrat gravida, in qua ex rationis & experientiae fundamentis verè colligi queat, quod foetus praesens in praesenti statu mortem acceleret gravidae, aut ubi gravida morbo aliquo sive acuto sive alio correpta ex foetus praesentia necessario emori debeat, aut tamen emori

emori queat, annon necessarium sit in hoc statu, ut mater per concitationem abortus salvetur (id quod sub certis circumstantiis concessit *Ammannus in Medic. Crit.*) Includunt autem ejusmodi problemata multa postulata, quæ tamen *rarissimi* eventus sunt aut *dubiæ* existentie, nimirum non quæstio esse debet, an gravida talis ex foetus presentia & gestatione perire aut emori *possit*, (quantumvis in hac consideratione omnes gravidæ huic possibilitati subjectæ sunt, imò si nudis mechanicis respectibus inhærendum sit, etiam de *necessitate* quædam physico-mechanica perire *debeant*, cui tamen per speculationem inventæ necessitati *eventus* ipse in vitâ quotidianâ rigidè contradicit:) Sed adhuc magis stringens occurrit quæstio: *An etiam necessario vitâ fungi debeat?* Quæ sanè quæstio difficillimæ, *implicite* imò dubiæ resolutionis est, non enim acutâ febre correpta scœmina propterea vitâ privantur quia *gravida* est, cum centum imò plures historiæ contrarietatem comprobent, neque etiam foetus presentia *secretionis & excretionis* successum penitus aufert, qui nihilominus in febre, ubi suo corpori magis prospicere debet natura matris, continuari *potest*, imò tanto magis in hoc casu huic gravida naturæ *indulgendum* erit, si in salubritatem & *corporis sui* conservationem foetum suum quantumvis *negligit*, cum ipsa met in periculo *sue vitæ* constituta sit & cum dexteritate ac vigilantia *sibi proximus* obligata existat, quem foetum dehinc ut vel mortuum, vel propter hoc periculum neglectum ritè peractâ febre aut *spontè* exturbabit, aut ad ejectionem quantumvis admovebit, ut tunc demùm medicus locum habeat dijudicandi an sub *ejusmodi* statu & motibus naturæ *necessè* sit talem foetum, quem natura ut *excludendum* prosequitur ad exclusionem promovere, ubi in ultimo hoc statu paulò *certius* dignoscere poterit, an foetus *retineri* an verò *excludi* possit & debeat, cum altera illa & intempestiva suspicio admodum fallax & dubia sit, an nimirum propter foetus presentiam mater gravida necessario in mortis discrimen coniciatur.

Ex hisce sequitur, quod in rebus ita *dubiis* nullo modo temerarium quidquam comittere debeat Medicus, tantò minus vero rationalis ars medica *ausum* talem admittit, cum, si etiam licitum esset ut abortus sub ejusmodi circumstantiis promovetur, *remedia*, quibus concitandus & procurandus subsistentia, quæ sanguinem fortiter *impellunt* aut motus *si- nistrè* provocant, quibus *affectus* ille, in quo periculosè grava- vida pro præsentì decumbit, tantò certius *exacerbabitur*, ut propterea & mater & foetus simul pereat, neque tempus pos- sultat aut præcepto occasio admittit in ejusmodi periculosis af- fectibus, ut artifex primum & quandoque fatis diu foetus ex- clusioni inhæreat, sub quo conamine *morbus* ille matris nihilo- minus validius & *acerbius* continuabit, ut, si medicus nunc cum abortus concitatione occupatus sit, eò ipso simul *morbo* matris convenienter prospicere non queat, quia in utrisque hisce indicationibus communiter *contrarietas* occurrere so- let, interea vero periculosus ille morbus *negligitur*, qui sub vehementibus illis inductis *motibus* foetum *prosequentibus* tantò periculosius progredietur & innidulabitur, ut demum nihilominus gravaida succumbere debeat. Unde ex *dubia* ta- li causa non nisi dubii ejusmodi effectus emergunt; quibus concitandis nullo modo conscientia suæ dextrè prospiciens medicus invigilare & coniti debet; Infirma enim est illa disce- ptatio inter *foetum animatum & inanimatum*, secundum quam differentiam abortus provocatio in distinctis temporibus con- ceditur, cum enim foetus *propter animam* suam nunquam alte- rari aut offendi debeat, hic verò foetus nunquam *sine anima* existat, (nisi mortuus sit,) quæ alias in corporis subtilissima & tenerrima formatione & que tantæ existimationis est, ac quan- do foetum crassiori & locali motu regere inchoat, ita *nun- quam* abortus talis concedendus est.

Non verò placet jam latius tam ex rationis fundamentis, quam

quam effectibus confirmare, quod foetus, quamdiu in utero legitime constitutus delitescit, nunquam *sine anima* sit; sed illud solum brevissimis h.l. affirmamus, quod nulla *conceptio* fieri possit, nisi anima *praesens* sit, & quod anima illa *rationalis* sit *architecta* sui corporis; rationalem enim illam animam merito vocamus, neque in illam sterilem discretionem animarum consentimus, inter vegetativam, sensitivam & rationalem; unde etiam illud *Zieritzi* assertum incongruum existit, quo animam quidem in prima conceptione praesentem admittit, sed non nisi vegetativam; Vindicat vero hanc praesentiam animae rationalis in primo conceptionis tempore *Zach. T. ult. tit. I. num. 4.* vid. etiam *Ziegl. in Fur. Canon. ad Lancel. Quamprimum* itaque anima illa humana *praesens* est, eo tempore minime foetus offendendus est, *non enim faciendum est certum malum, ut eveniat incertum bonum*, adest vero illa anima consentiente adhuc *Scalig. & Themist.*, quando foetus concipitur, unde neque illo tempore temere & sine iure tractandus aut offendendus est; Imò neque corpus humanum (quod adhuc gratis addimus) sine anima *formari* potest, & ubi anima non est, ibi corpus tale non nascitur, unde dignitati nostrae assertionis nihil derogat, si *subtilioribus* motibus anima moveat & corpus ex primis rudimentis, (qui dignissimus est actus in tota humanitate occurrans) formet, si *crassioribus* localibus motibus exercendis occupata sit; Ubiq; enim praesto est *anima*, ut adeo à ratione penitus abludat illud discrimen, quod animae *praesentiam* tunc demum asserit & admittit, quando corpus *formatum* est; Si enim anima *deficit*, quodnam principium *formabit* corpus, & quidem tam *proportionatè, elegantè & figuratè*? Vix *necessitas* mechanica? Hæc enim si corpus formaret, unde formantur *monstra, nevi materni*, mures, glires aliaque animalia in utero materno? Neque illud famosum *feminium*, quod multi per specilla, microscopia & miraculosa ac oraculosa vitra vidisse gloriantur! cum hoc feminium se ipsum tam elegantè & proportionatè formare haud poterit; cui *genesi* per rudem *expansionem* suppedita,

fitæ, *nevi materni*, assimilationes *lineamentorum* ad corpora & figuram parentum, destructiones & *deformationes* certorum artuum in foetu passim occurrentes, aliæque *monstrosæ* epigeneses validè contrariantur.

§. XXXIV.

Eliminarunt jam ex conscientiosa arte medica talem temerarium ausum *Hipp. in Jurejur. & Galenus de simpl. medic. fac.* Quia imò rejicit alias ejusmodi incertum & audacem actum illibata conscientia, & ipsa insuper rationalis experientia contradicit *Celsi asserto*, quo melius factum esse judicat *anceps experiri remedium, quam nullum*, cui sane ratio imò sana peritia medica contrariatur, nunquam enim ars rationalis medica temerariis & *dubiis* ausibus inquinanda est. Paulò alterius verò nervi est altera quæstio: *An planè non abortus successio promovenda sit, i. e. an licitum sit, quando foetus servari non potest, & natura cum motibus suis retentioni foetus sese opposuit, imò jam remotioribus atamen pertinacibus conaminibus eundem prosequitur, insuper etiam tales motus instituit proximam foetus exclusionem concernentes, si præterea rationalia indicia supersunt propter prægressum aliquod animi pathema aut violentiam, aliamque efficacem causam jam aliqualem foetus divulsionem ab utero factam esse, an tum conveniat naturam sublevare & excretionem hujus foetus promovere?* In cujus quæstionis resolutione *affirmativam* tuemur, modò antea prudenter omnes hæc circumstantiæ dijudicentur, an jam foetus ab utero *divulsus* sit & retineri non queat, cujus rei *inopinatè* eveniens largus fluxus sanguinis ex utero, & concurrentes sensibiles ac pertinentes motus *tensorii* & *strictorii* testimonium quoddam ut plurimum non fallax præbent. In tali itaque statu & conditione ex medici parte esse censemus, ut *naturam* matris, quantum fieri potest, prudenter & circumspectè in hac exclusionem *sublevet*, regat, disponat, eique *moderetur*, ne ipsa excessivis motibus actum talem prosequatur; Quæ decisio insuper prudenti medico *tempus* justum indicabit, quando *nimirum*

mirum conveniat exclusionem ejusmodi foetus promovere. Alias verò temerè & in rebus dubiis nunquam abortus concitandus est, quo loco placet pro consensu aliquo allegare verba *Alberici Gentilis*: *An hic malum certum probes, ipsam necem factus propter bonum incertum? Quae nuptura Domitiano erat, dum conceptum à se abigit, mortua; Malum certum admittes, ut vites incertum, nam incertum est semper, si mulier morietur, non ita curata. v. pl. Danb. in Theol. Conf. T. III. Disp. 12. § 15.*

XXXV.

*Quomodo verò denique hic abortus facilitandus sit, non placet latius explicare, quia hic labor propositum nostrum transcendit; displicet verò illa temerè exercenda methodus (quavis convenienti tempore adhibita utilis etiam existat) quam proponunt Guilemau, van Solingen & Mauriceau, utpote qui in quovis cruentò Uteri profluviò in gravidis extractionem foetus ex uterò commendant; Interim brevissimis, attamen dignissimis commendationibus methodum à Magnif. D.D. Stabliò in prædicti. diff. propositam seligimus, & ut maximè securam & efficaciter adhibendam commendamus, & ita etiam adhibitam vidimus, quin imò ipse D. D. Praeses aliquoties expertus est; Quod si verò illa extrema necessitas urgeat, ubi foetus cum suis secundinis jam avulsus diutius in utero resitat, imò difficulter exprimitur, graves interim haemorrhagiae succedunt, adeò, ut foemella in mortis discrimine versetur, praestat tunc obstetricante auxiliò succurrere, & quantum fieri potest, si reliquæ circumstantiæ permittant, modestè foetum extrahere; cujus extractionis prædicti Autores Chirurgici medici mentionem fecerunt, de quò auxiliò ejusque rationabili usu egit Bohnius diff. de abort. solut. Omnia verò pel-
lencia remedia hòc in passu suspecta, imò plurimùm noxia deprehenduntur.*

XXXVI.

Ne verò labor noster ultra metam excreseat, properandum nobis erit ad alteram Thematis nostri propositionem, nimirum ad considerationem *Nefandae Promotionis abortus*, quæ à sceleratis & malitiosis hominibus committi solet, utpote quæ homicidii species non modo Juri Naturæ sed & reliquis legibus di-

vinis ac profanis quam maximè repugnat, quo tentamine omni crudelitate, foetus, qui conservari potuisset, omnique violentia affligitur & exturbatur, de quo crimine rectè loquitur *Terrullianus*: *Utero conceptum dum adhuc sanguis in homine debatur, dissolvere non licet, homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam aut nascentem disturbet, homo est, qui futurus est.* Profligatur verò foetus cum ejusmodi malitiosis & execrandis ausibus & instrumentis, præcipuè illo tempore, quo adhuc tenerior existit, neque adeo firmiter utero coheret, insimul etiam natura matris facilius ad exclusionem quam retentionem ejusdem inclinat; in hunc iniquum & scelestum finem adhibentur talia remedia, quæ vel in genere *massæ sanguinis* vehementius commovent, naturam ad hanc *expulsionem* acriter concitant, aut partes *genitales* sensibilibus afficiunt; ut propterea in iisdem vehementes ejusmodi motus *constrictorii* administrentur, sub quibus *divulsio* foetus facillimè ab utero contingit, ut denique ipsa talis exclusio impetuose insequatur; *Exstimulatur* itaque natura duplici præcipuè *commotione*, vel *interna*, vel *externa* ex qua utraque malitiosè adhibita tantò præsentius & vehementius hæc exclusio inducitur. Quadrant huc omnia superius tacta adminicula ex quibus repetita & *larga sanguinis* subtractio, partium inferiorum *exstimulatio*, uteri temeraria *compressio* & concussio, motus *immodesti* corporis, voluntariae quandoque abdominalis *concussiones* aliæque violentiæ, ut & denique vehementes *commotiones emeticæ & cathartice*, quæ non infimum locum suscipiunt. XXXVII.

Ut multiplicia hæc sunt subsidia, quibus nefandè abortus concitari solet, ita etiam multoties *alternatim* adhibita occurrunt, ut tantò certius effectus ille malitiosè intentus insequatur, ex quibus verò *instrumentis* quodlibet hujus *capacitatis* est, ut abortum inducat, qualia adminicula ex veteribus latiori catalogo describuntur ab *Avicennâ* & *Aetio*, quod adhuc pertinet famosus ille *Gallorum Pulvis successionis*. Quando verò foetus jam *vitali*, locali scilicet illò motu præditus est, tantò magis deinde hæc tentamina *multiplicatò* usu iniquè adhibentur, ut antea foetus ille *vita* sua privetur & ita *occisus* demum *expel-*

expellatur, ubi nonnunquam malitiosum hoc negotium paulò tardius succedit; Quò sepius hoc crimen committitur, eo certius denique sterilitas insequitur, ubi tantò magis hujus conceptionis & gestationis natura matris fastidiosa & deses totum hoc negotium respuit & consensum suum in hoc officium denegat & aufert, dum ad hunc resectionis actum temerè, repetitò coacta, insuper verò hòc suò fructu ac sine defutura est, unde propter frustrationè talem planè rationabiliter ab hòc conceptionis actu abstrahit & dissentit. Conjiuntur verò multoties ejusmodi detestabilia monstra hominum & execranda scemellæ ex ejusmodi violento abortu per divinam justissimam vindictam in gravia pathemata, quæ tam atrocia & pertinacia sunt, ut multoties omnem humanam opem respuant, qualia latius describere temporis ratio nunc non permittit. Quin alias scemellæ honestæ vitalitati suæ justius consultantes exprimunt, testante *Hæro in Herc. Med.* se malle decies parere quam semel abortire propter pravas persecutiones, quarum jam antea mentionem fecimus; Et ita non mirum est, si ex tali nefanda & violenta abortus concitatione, reliqui motus vitales in ejusmodi iniqua matre sub sensibili actu turbati in pessimam anomaliam prolabantur, ut propterea tales scemellæ adultam & seram ætatem vix facile & vix frequenter attingant, sed eo ipso sibimetipsis mortem accelerent, unde non modò sætui suo noxiæ & inimicæ existunt, sed & suam vitalitatem confundunt, enervant, & duplicis homicidii, unius facti, alterius futuri reæ æstimandæ sunt, de quibus illud valet: *Necis artifices arte perire sua, quò alludit Ovidius l. 2. am. Ecl. 3. Hæc neque in Armeniis usque quæ necet ipsa perit.* Tantò magis verò quemlibet talem abortum pro homicidio agnoscimus, quia humanitas non ex corporis æstimatione, sed ex animæ dignitate & præsentia petenda est, quæ anima in sætu scilicet, optimo suo præsentis sine frustratur & à dignissimo naturali formandi sui corporis actu disturbatur, ut denique hoc commercio cum corpore se abdicare & æque ac in alio homicidio subjectum suum, quantumcunque etiam sit, corpus deserere debeat; id quod in talibus circumstantiis non contigisset, si non ejusmodi inhumana & crudelia tentamina adhibita fuissent.

Hiscæ præmissis faci è liquet, quod malitiosa talis *fœtus* ex-
 turbatio *homicidii* crimen existat, quamvis hoc nonnunquam
Œri excusare velint, cum illâ superius traditâ *distinctione* inter
 fœtum *animatum* & *inanimatum*, adeoque commissam ante *me-*
dium gestationis tempus abortum sive abactionem partus *homi-*
cidium appellare *recusant*, infirmæ huic discretioni inherentes,
 quod fœtus nondum *animatus* fuerit, quem lepida quorundam
 physycorum & medicorum persuasio sub multâ disceptatione
quadragesimo post conceptionem die, alii *quingagesimo*, *se-*
ptuagesimo, *centesimo* animari asserit, licet aliqui ejusmodi dubiis
 litigiis non assentientes *medium* gestationis tempus pro illò *ter-*
mino agnoscant, quo fœtus *animari* soleat, cui *animationi* ita di-
 cendæ *vitalitatem* ætius jungunt & autumant, fœtum *inanima-*
tum tali sensu, etiam non *virum* & non aliter nisi corpus simplici-
 ter *physicum* considerandum esse; sed valet hic, quod *Ammian-*
us in Medic. Crit. cas. 1. Diff. 1. dixit, *Fœtum vitalem non esse,*
non denotat omnimodam vite privationem; Explicamus hoc di-
 cterium ad nostrum sensum, fœtum *ita* vitalem non esse, prout
 in *medio* gestationis tempore est, non denotat omnimodam vi-
 tæ privationem, sed primus actus vitalis consistit in *prima deli-*
neatione & formatione corporis, ex qua vera *vita* rudimenta sua
 capessit, quibus inniuitur, & sine quibus esse non potest. Indul-
 serunt verò ejusmodi differentie illi *Œri* Pandectarum conge-
 stores, qui eo tempore *stoicis* principiis & dogmatibus additi &
 imbuti fuerunt, sicut *Merillus* & *Freberus* edocent; crediderunt
 verò *stoici* fœtum *primo* tempore nondum anima præditum esse,
 sed tantum *viscus* sive partem adhuc matris existere *vid Plu-*
tarch. de Plac. Philos. 1, §. c. 15. quo consentiunt *Ulpianus* & *Pa-*
pinianus; Secu. ad hanc opinionem leges abortus causam con-
 cernentes *matris mortem* præcipuè urgere solent, quæ abortio-
 nis poculum secuta est, & quod *ante* fœtus *animationem* com-
 missus abortus *capitali* pœna puniri non debeat, in quam expli-
 cationem etiam consentit *Corasius*. Quamvis cererum hæc di-
 stinctio in *Jure Justiniano*, nimirum inter *animatum* & *inani-*
matum fœtum, non occurrere dicatur.

Afferimus verò in antecedentibus, quod foetus nunquam sine anima sit, imò quod corpus sine anima formari nequeat; si itaque homicidium a potiori denotandum venit, ex corporis animari offensione & maxima laesione, ita merito abortum talem malitiosè concitatum homicidium appellamus, quamvis ex dubiis exceptionibus nulla firma decisio & consensus in easdem formari queat, ubi nimirum per modum inconvenientis *questionis* hæc ignorantia elenchi loco limitationis perperam committitur & proponitur, qua abortum talem ab homicidii significatione quidam liberare & vindicare contendunt, an pro certo affirmari queat, nondum antea foetum principio suo vitali privatum fuisse, ut hæc anima offensio non ex abortu conciliato deduci debeat? Imò insuper, an, si abortus non infecutus esset, factus ad suam perfectionem venisset? Quippe quæ *questiones* & dubitationes nihil planè demonstrant aut evincunt, nedum rationabiliter probant aut limitant; Unde neque responsionem aliquam eadem merentur; Ex rebus enim dubiis nulla fuit demonstratio. Argumentamur potius à potiori, quia communissimè foetus ad perfectionem suam pervenit, neque hac occasione rationabilis præsumtio superest, cur non hoc tempore ad perfectionem suam pervenire potuisset, imò etiam debuisset, nisi tale crimen commissum fuisset; Ita ex hac demonstracione paulò firmior profluit conclusio; Hæc enim dubitatio, si rem decidere posset eodem jure extendi etiam posset ad omnes abortus, quæ extensio multis iniquitatibus exposita esset.

XL.

Stante itaque hoc asserto, quod talis abortus homicidium sit, quo etiam *Fizius* consentit, sed desuper sinistre per indirectum & enthymematicè concludit, quia non omne homicidium puniri debet; Ergò neque hoc; Cum homicidium maliciosum, voluntarium & cum dolo commissum ubiq; gravem pœnam mereatur, quale etiam hoc homicidium in abortu de quo loquimur, commissio existit, ita & hoc crimen non levem pœnam indicat & postulat. In qua quidem pœna dictatione *JCr* ambigunt & in causis criminalibus dubiis sententiam mitiorem præ rigidiorè seligendam esse asserunt, qualem dubiam causam accusare solent in abortu ante animationem foetus commissio, proptereaque passim in hæerere solent huic infirmæ differentiæ inter animatum & inanimatum foetum; Posset propterea Lex hoc nostro fundamento innitens, quod nimirum foetus nunquam sine anima sit, optimo jure pœnam etiam rigidiorè constituere, tantò magis, quia differentia inter magnum aut parvum hominem humanitatis essentiæ nihil derogat, sive parvus sive magnus homo occidatur, ubique homicidium est. Illa unica adhuc occurrit circumstantia, ob quam pœna mitigari possit, nimirum quia foetus ante medium gestationis tempus nondum perfectus est homo, quia corpus nondum absolutum & perfectum est; Sed potest etiam hanc considerationem adhuc implicatam reddere illa instantia, quod humanitatis æstimatio non ex corpore humano, sed ex anima humana profluat, unde quia in abortu tali anima præcipuè offenditur, iterum rigidior pœna prævalet; Præterea si abortus post medium gestationis tempus commissus, ubi foetus vitalis deprehendi dicitur, capitalem pœnam indicat, sequitur, quod pœna talis rigidior locum habeat, tali tempore, ubi

corpus

corpus factus nondum quoad singulas partes perfectum est, quantumvis in medio gestationis tempore & statim post illud corpus factus nondum absolutum apprehenditur, ex quo colligi potest, si pena capitalis locum obtinet eo tempore, ubi factus anima quidem praeditus est, sed corpore nondum perfectus, admitti etiam potest illo tempore, ubi factus sese cum crassioribus agitationibus & corporis motibus exercere nondum solet, quoniam illo etiam tempore anima quidem praeditus, sed corpore nondum perfectus est. Et cur denique monstra ex iniquissimo congressu masculi brutini cum femella humana provenientia, & quandoque corpus humanum quoad structuram & figuram referentia, abjiciuntur, imò ad Rogum & aquae demersionem condemnantur, ubi tamen corpus humanum ad est; Ex eo colligimus, quod dignitas hominis non ex corpore sed ex anima profluat.

§. XLI.

Sed ne in aliud forum descendamus merito *Juris* poenae mitigationem committimus, quo facit ille textus & *Jure Carolino* desumptus *Const. Crim. Arvic. 133.* "So jemand einem Weibsbild durch Beywangl Essen od Trincken ein lebendig Kind abtreibt; wer auch einen Mann oder Weibsbild unfruchtbar machet; so solches Ubel fürseztlicher oder boshafftiger Weise geschichet; soll der Mann mit den Schwert als ein Todschläger u. die Frau so sie es auch ihr selbst thäte extrāns det oder sonst zum Tode gestrafft werden (ubi nostris moribus committere pena gladii dictitari solet) So aber ein Kind; das noch nicht lebendig wäre; von einen Weibsbild getrieben wird; sollen die Urtheiler der Straff halben bey denen Rechtsverständigen oder sonst wie zu Ende dieser Ordnung gemelt der; rathe pflegen. Interea hodie in crimine illo commissi abortus poena capitalis non aliter obtinet nisi parvus vitalis praesumatur *Vid. Carpzov. Prax. Crim. part. I. quaest. 11. n. 2. Et seq.* Alias quidem allegari solet in foro juridico, adesse debere certitudinem corporis delicti, jam vero ne quidem ipsi matri constare posse de vitalitate partus, nisi post dimidium gestationis tempus, quae vero exceptio iterum innititur implicata & infirma distinctione inter animatum & inanimatum factum. Alias poena suffragationis esse solet. *Mitior* vero olim poena fuit temporale exitium, quod confirmat textus *leg. 4. ff. de extraord. crim. Divus Severus* & *Antoninus* rescripserunt, eam, quae data opera partum abegit à Praeside temporale exitium notandam, indignum enim videri potest, impune eam matrum liberis porale exitium notandam, indignum enim videri potest, impune eam matrum liberis fraudasse, Et *l. 3. ff. ad leg. Corn. de Sicc. Et Venet. si, mulierem visceribus suis vim intulisset, qui partum abigeret, consisterit, eam in exitium Praeses provinciae exiget.* Producitur quidem passim in patrocinium mitigandae poenae in praedicto statu textus *Exod. 21. v. 22.* qui verò locus de tali malitiosa, voluntaria & per directam intentionem provocata abortus promotione minimè agit, unde hic etiam non quærit; Ex quibus omnibus facillè liquet quam parum solidae excusationis super sit in tali delicto; de cuius atrocitate & malitia *vid. Job. Ang. Bossium de off. contra matrim. c. 9. §. 4.* Quibus ipsis verò non ulterius insitimus, sed dum, ut contra submissimus Deum verò Optimum Maximum humillimè veneramur pro praestita sua gratia in materia hujus dignae explicatione; Quem etiam supplices precamur, velit imposterum ceptis nostris ita benedicere, ut in rem medicam ubique commodum & usum certum ac sincerum conferant & deponant,

P. 311.

Halle, Diss; 17 M A-L I

ULB Halle
003 770 958



3

f
56.





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

MEDICO-LEGALIS
De
US NOXIA
ANDA PRO-
TIONE.

1711

Quam
OPTIMO MAXIMO,
A FRIDERICIANA
GNIFICENTISSIMO,
RINCIPE AC DOMINO,
IO WILHELMO,
AE, MARCHIONE BRAN-
C DUCATUS MAGDEB.
ARIO, &c.

LTATIS MEDICÆ, CONSENSU
ESIDE
LE ALBERTI,

ntilationi exhibet
ONDENS
MUNDUS LIEBEZEIT,
ensis Hungarus.
A. O. R. MDCCXI.

GDEBURGICÆ
HENCKELII, ACAD. TYP.

UNIVERSITÄT
MAGDEBURG